HOMERI

VITA, EX PLVTARCHO in Latinum tralata per IO. RHEL LICANVM, Tigurinum: unà cum eiuſdem Annotationibus marginalibus, ac Epiſtola nuncupatoria: in qua libri argumentũ continetur, & quibuſdam ποιητομαστίγων cauillis reſpondetur.




ITEM

EIVSDEM IOAN RHELLICANI STOCKHORNIAS.

AD LECTOREM.

Hoc Plutarchi opuſculo nõ ſolum ſchematũ troporũq; copia ac diuerſitas, ſed & diſciplinarũ omnium ſemina, omniumq; ferè fabularum mythologiæ, philoſophiæ deniq; totius fontes apud Homerũ extare docẽtur. id quod ſe haud fruſtra in ipſa adeò libelli fronte admonitũ, Candidus Lector agnoſcet: ac optimi cuiuſq; opera & uigilijs iuuari ſua ſtudia, grato animo accipiet.



BASILEAE,

M. D. XXXVII.

MAIORVM IMAGI NIBVS, ERVDITIONE, AC *pietate præclaro iuueni,* D. HIERONYMO FRI CERO *Bernati, nunc Thubingæ Iurisprudentiæ operam nauanti, amico suo charißimo,* IOANNES RHELLICANVS, *Tigurinus, Salutẽ, & conscientiæ tranquillitatem per Christum Iesum exoptat.*



IN MEMORIA habeo doctissimè simul & amicissimè FRICERE, quid'nā tibi adhuc Biturigibus agenti receperim: nempe quod pro Roseti CHRISTO mihi abs te donato, nō solū gratias tibi agendas duxerim, sed etiā Commentariolo nostro illustratū eundem autorē remissurus essem. At quum interea temporis & prælegendi, & cōcionandi molestissima uicissitudine (ut scis) ita occupatus fuerim, ut instituto meo satisfacere nō possem: & tamen fidem tibi datam frangere impium uideretur: cœpi tandem apud me cogitare, quo modo fidem apud te tam fidum

amicũ liberarem. Et ecce cõmodum in mentem mihi uenit: quid si Rofeto miſſo facto, Homeri uitam, quam iuuentuti Berneñ. interpretaris, Fricero pro liberãda fide tua mitteres, ac dedicares? Hęc enim illius ſtudijs & ætati cõuenientior eſt, quàm Theologicæ in Roſetũ adnotationes: præſertim quando uerendum eſſet, ne libellus is parum uendibilis futurus fuiſſet. His igitẽ motus rationibus, à cõmentando in Roſetũ prorſus deſtiti, ac manum Homericę uitæ ſecundũ Plutarchum (cuius duntaxat initium, & hiſtoricam tantũmodo partem, Guarinus Veronenſis, homo doctiſſimus, tranſtulit) interpretãdæ idcirco admoui, quod is in ea non ſolum cõmentarij uice in totum Homerũ, ſed (maximè ſi libellũ de Audienda poëtica adiũxeris) in uniuerſam poëſim eſſe queat. Nam queadmodum omnes uitarum deſcriptores in genere demonſtratiuo uerſantes, bona corporis, fortunæ, & animi, aut laudant, aut his cõtraria uituperãt: ſic & Plutarchus primum Homeri patriam, parentes, fortunã, ac mortis genus deſcribit. Deinde

ad

ad animi bona digrediens, in genere ait, eum ingens uerborum ac sententiarum pondus, omniumq; rerum scientiā percoluisse: dum sub poëticarū fabularum inuolucris, semper aliquid arcani innuat. Atq; ita ad artiū species descendens, primo loco grammaticam excutit, dum ostendit Homerū omnibus Græcorum dialectis usum: & dum troporū ac schematū rationem adeò disertè ac luculenter tractat, ut crediderim à nemine luculentiori ordine, exactiusq; hac de re scriptum esse quicquàm. Deinde quatuor dicendi genera Homero probè cognita fuisse docet: ac orationem in tres diuidit partes, historicā, contemplatiuam, & politicam. Ac historicam quidem rursus in breuem, & copiosam narrationē secat: atq; utriusq; exempla ex Homero adducit. In contēplatiua uerò, seu philosophica oratione, principio omniū rerum initia prosequitur, quatuor elementorū rationem edocet: ac mythologiā de Ioue, Iunone, Plutone, Neptuno, Vulcano, & alijs plerisq; dijs, explicat. Deinde solis ortum, occasum, magnitudinē, uim,

ſubſtantiam, ac reliquorum ſiderũ motus: deniq; terræmotuum, deliquij ſolaris, uentorum, pluuiarum, tonitruũ, fulgurum, et fulminũ cauſam & originem deſcribens: docet hæc omnia Homero non incognita fuiſſe, imò philoſophos hæc ab illo tanquam primo autore mutuatos eſſe. Atq; hæc quidem de philoſo ſophia naturali. Cæterum in morali, primum deos eſſe ex Homero comprobat. Deinde quales ſint: ubi & de Prouidentia deorum, & fato differit. Poſtremo de anima, eius partib⁹, uirtutibus et uitijs diſputat. Porrò nec Arithmeticã, nec Muſicã prętermittit, quin oſtendat eas ſcientias ab Homero ceu primo fonte dimanaſſe. Tandem ad orationis politicæ (cuius ſuprà in orationis diuiſione meminerat) tractationẽ accedit, eiusq; ſpeciem dicit Rhetoricã eſſe: atq; illius artis præcipua queq; (ut eſt orationis diſpoſitio, genus cauſæ, ac perſonarum decorũ) proſequitur: ac affirmat eam artem primitus ab Homero ortam. Ad hæc legisperitiã (quæ & ipſa ciuilis orationis ſpecies eſt) Homero cognitam eſſe, eumq; rem poli

ticam

ticam primum omniũ in uitam ciuilem & militarẽ diuisisse astruit. Præterea nec Medicinæ, nec Diuinationis, nec Tragœdię, nec Comœdiæ ignarũ fuisse. Deniq; scribendorum epigrammatũ, & pingendi artem ad Hómerum primum autorem ac magistrum referendã esse censet. Hîc satis scio, σκυθρωπός τις ποιητομάστιξ mihi obiecerit: Tun' hominem Christianum agis, qui hasce poëticas nugas, καὶ μυθολογίας (quibus multa impia & obscœna admixta sunt) non solum iuuenibus tuæ disciplinæ concreditis explanas: uerũetiam in publicum edis, ut cõtagio latius serpat, ac uenenum longius spargatur? An non (inquit) legisti, quid Plato, quãuis Ethnicus philosophus, in secũdo dialogo de Rep. super his næniarum explanationibus sentiat? ubi Hesiodum narrantem Cœlo uirilia per Saturnum filiũ amputata esse: & Homerum (quod uincula Iunoni à filio iniecta, & Vulcanum è cœlo à patre deturbatum, cũ matri pulsatæ auxiliari uellet, ac deorum uarias pugnas describit) è rep. sua in exilium relegat; siue per allegoriam hęc,

ſeu abſq; allegoria dicta ſint. Nō enim, inquit, adoleſcēs dignoſcere poteſt: ſed quæ in ea ætate opinionibus accipiunt, altius inhærere, difficillimeq; eradicari ſolent. Vt interim de Auguſtino doctiſſimo & pientiſſimo Epiſcopo taceam; qui lib. 2. de Ciuitate dei, Platonis ſententię de eijciendis huiuſmodi poëtis è ciuitate ſua, uſq; adeò acceſſit: ut putarit eū digniorem eſſe honoribus diuinis, q̃ Priapum, aut alium quempiā ex poëticis & mōſtroſis illis dijs. Præterea lib. 7. eiuſdem Ciuitatis dei, Varronis mythologias & phyſiologias de dijs, multis excipit cachinnis: easq; (ut Plato) adoleſcentibus uitandas eſſe monet. Quid audio mi Zoile? tu'ne primū hoc argumento nos pſuadebis, ne pueris poëtas prælegamus? Multa deteſtanda, & impudica in poëticis fictionibus cōtinentur: igitur iuuenibus Chriſtianis nō ſunt prælegendæ. Bella profecto argumentatio, ſi dijs placet. Eadē nanq; ratione iuuenes à ſacrarū quoq; literarum lectione arcebis. An'non enim cū impiū, tum fœdū Chami factū Gen. 9. deſcribit, quod ſcilicet

nuda patris temulenti uerenda, reliquis
duobus fratribus ludibrij causa ostende
rit? Quid Sodomitarũ nefanda libidine
(quę in eodẽ lib. narrat̃) impudẽtius, tur
pius, tetrius, ac obscœnius cogitari po-
test? Quid Gabaonitica illa libidine sce-
leratius, qua uiri in uirũ Leuitam exarse
rãt: & quũ eo potiri nõ possent, eius con
cubinã per uices tota nocte stuprãdo ita
tractarunt, ut mane ante ostiũ mortua sit
inuẽta? Deniq; quid facies Canticis cãti
corũ Salomonis: quæ lenocinijs & ama
torijs illecebris adeò scatẽt, ut nihil retu-
lerit, siue impurus homo & amatoriarũ
rerum cupidus illa legat, uel Ouidiũ de
Arte amandi? Sed dices: flagitiosorũ ho-
minum exempla illa non in hoc sacris li
teris mandata sunt, ut ea imitemur: sed
ut Chami, Sodomitarum, & Gabaonita
rum pœna (quam ob designata flagitia
dederunt) à prauis facinoribus deterreã
mur. Et Canticũ canticorũ non in hunc
usum à Salomone cõscriptum est, ut se-
cundũ literam, & pingui (ut dicitur) Mi
nerua id exponamus: sed ut ἀλληγορικῶς,
καὶ κατ᾽ ἀναγωγὴν, ad Christũ sponsum,

& ecclesiã eius spõsam referamus. Quasi uerò idem in poëticis scriptis fieri non queat, p̃sertim si eorundẽ professor pius sit: admoneatq; adolescẽteis inter praelegendũ, quid turpe, q̃d honestũ, quid impiũ, quid piũ, q̃d gẽtile, quid Christianũ sit: ut illud fugiãt, hoc sectentur. Id q; & poëtæ ipsi admonẽt, dum fingũt Tantalum, Ixionẽ, Salmoneũ, & reliquos impios ac facinorosos homines digno supplicio à superis affici. Deinde quũ tu in sacra scriptura permittis, ut amatoria illa Cantica secũdum mysticũ sensum exponant: quo tandẽ ore ac fronte Zenonẽ, Plutarchũ, Varronem, ac reliquos mythologos prohibebis, quo minus idẽ eis liceat, in Veneris ac Martis complexu, ac reliquis id genus fabulis, ad rerum naturam referẽdis? Ne dicã interim, quod adolescens in castissimis quibusq; poëtis (ut est Homerus, Pindarus, & Virgilius) sobriè, & per ætatẽ uersatus, & prędictis mythologijs imbutus: longe paratior et instructior ad sacrosancta prophetarum oracula, per allegoriã intelligenda accedit, quàm si sophistarum, et quo-

rundam superstitiosorũ more, poëticam nunquam gustasset. Præsertim quũ eandem propemodũ phrasim, & genus dicendi cum prophetæ, tum poëtæ sectentur. Adde etiam quod ueteres illi apud Græcos Comici, & Satyrici apud Latinos, Gentilibus prophetarũ uice, in monendo, docendo, & carpendis uitijs, fuerunt. Hactenus ad primã tuam obiectionem. Cęterum quod deinde Platonis et Augustini autoritate (quorũ uterq; poëtas è sua repub. expulit) me urges: si alia utriusq; autoris loca, cum illis tuis, quos allegasti, contuleris: uidebis eos pueris nõ omnino poëtica interdixisse, sed delectum inter poëmata habendum. Socrates nanq; in Ione, seu de Furore poëtico ait, non dubium esse, quin præclara poëmata, diuina, deorũq; potius, quàm hominũ sint opera. Poëtas uero nihil aliud esse, quâm deorum interpretes. Quo sané in loco, tantum abest ut omneis poëtas damnet, ut etiam summis laudibus bonos uehat. Vt silentio interim prætercam, quod Marsilius Ficinus in præfatione sua in Platonis libros refert: illum

poëticæ

poëticæ tam ſtudioſum fuiſſe, ut ſtylus ipſius nõ tam philoſophicus, quàm re= uera poëticus ſit. Huc accedit, quod idẽ Plato in 2. dialogo de Rep. uel de Iuſto, fabularũ fictoribus aliquos præficiẽdos cenſet, ut ſi quam bonam finxerint, eli= gant: reliquas uerò abijciãt. Vnde ſatis apparet, non niſi malos ab eo damnari poëtas. Auguſtini quoq; eandem fuiſſe mentem, ex ſcriptis eius inter ſe collatis, liquidò conſtat. Etenim lib 7. de Ciuita te dei, cap. 26. dicit, poëtas nõ eo animo turpia de dijs finxiſſe, quod ea illis grata eſſent, imò ex ipſis poëtis certò depræ= hẽdi, turpeis homines eos potius, quàm deos immortaleis fuiſſe: utpote quibus tam ſceleſta facinora tribuerent. Quod uerò in eodem lib. μυθολογίας καὶ φυσιολογίας Varronis explodit: non in hoc (ſi ar gumẽtum eius, & ſcopum penitius con ſideres) facere uidetur, quod fabularum expoſitiones improbet: ſed ut ex ipſius Varronis interpretatione probet, nõ ni= ſi unum & uerũ Deum eſſe. Libro enim de Doctrina Chriſtiana 2. ca. 18. adſerit, hunc demũ uideri bonũ, uerumq; Chri

ſtianum:

ſtianum: qui Domini ſui eſſe intelligat, ubicunq; ueritatẽ inuenerit. Neq; enim, inquit, prima illa literarum elementa ob id uitanda eſſe, quod Mercurius ea repe riſſe putetur: nec ideo iuſtitiæ & reliquis uirtutibus nõ eſſe uacandũ, quod Gen- tiles his templa dedicauerint. Hactenus Aurelius Auguſtinus. Atque hoc eſt, quod Dominus Deus Deut. 21. in mu- liere gentili, & captiua pręfigurauit: quã ſi quis Iſraëlitarum in uxorem ducturus erat, eius comã prius radi, ungueis præ- cidi, & ueſtem mutari oportuit. Sic er- go cũ poëtica, ſerua domini, & captiua, agendũ eſt: ut & res, & uerba eius ita cir cuncidamus, ac purgemus, ut Chriſto ſponſo, & eccleſia illius ſpõſa puriſſima non ſit indigna. Quo autem pacto id fie ri poſſit, Plutarchus in hac Homeri uita, nobis (ut prædiximus) uiã facit. Is igitur optime FRICERE, quũ à nobis pro no ſtra tenuitate, è Gręco in Latinum tradu ctus ſit, ac nomini tuo ob prædictas cau ſas dedicatus: tantũ abeſt, ut aliquid lau dis & gloriæ hinc uenemur, ut contenti futuri ſimus, τὸς γ' τῇ ἑλληνικῇ γλώττῃ προ τοπέιρους

ποπέρος iuuiſſe, aut ſaltem iuuare uoluiſſe, & alijs occaſionem dediſſe, ut Plutarchũ melius, ac felicius quàm ego, tranſferant. Quocirca æquum & candidum Lectorem (ſi quis ſaltem noſtras nęnias legere dignatur) etiam rogatũ uolumus: ut ſi quid minus probè à nobis translatũ depræhenderit, candidè nos errati commonefaciat, emẽdet: ac cogitet, ſe quoque hominẽ eſſe, & falli, et fallere poſſe. Multa enim in hac interpretatione ſunt, in quibus ipſe mihi nondum ſatisfacio. Et hoc ideo, quod Plutarchus mutilos aliquãdo Homeri uerſus adducit: nonnunquam uerò poëtę locus à Plutarcho adductus in archetypo nobis non erat obuius, unde genuinum ſenſum ex circunſtantijs cõmodius eruere poſſemus. Denique quod uerſum uerſu pro noſtri ingenij modulo transferre conãtes, Gręcarum nonnunquã figurarum exempla (quę Plutarchus allegat) aſſequi nõ potuimus. Suſcipies itaq; mi FRICERE, hoc chartaceũ munuſculum eo animo, quo tibi à me donatũ eſt: hoc eſt, amico, & ſyncero. Atq; tua quęſo autoritate, &

patrocinio,

patrocinio, hanc noſtram lucubratiũcu lam, aduerſus liuidorum morſus, κỳ πονηρῶν πραγμάτων ſuperſtitionẽ, tuere: ac me (ut hactenus es ſolitus) amantem redama. Megander, ſummus nunc temporis Bernenſium eccleſiaſta (D. nanque Bertoldus Hallerus uir memoria dignus, 25. Februarij. hinc ad ſuperos cõceſſit) unà cum Sulcero te plurimũ ſaluere iubet. Salutabis et tu uiciſſim mea cauſa quàm officioſiſſime D. Volmarium, praeceptorem tuum: & Ioannem Hoſpinianum, affinem, et diſcipulum meum dilectum, ſi modo iſthuc ex Auguſta Vindelicorũ cum diſcipulis ſuis commigrauit. Vale, datum Bernae in Nuichthonibus, 6. Calendas Maij. Anno, ab orbe redempto, 36. ſupra milleſimum quingenteſimum.

FINIS.

PLVTARCHVS DE HOMERI VITA.

IOANNE RHELICANO Tigurino Interprete.



VPERVACANEVM fortasse cuipiam uideatur, nimis anxiũ esse, ac quærere, ex quibus parentibus, & unde Homerus sit ortus: præsertim cum nec ipse istorum quicquã attingere dignatus sit. imò uero adeò modestus fuerit, ut neque originem nominis sui prodiderit. Quoniam uero ad instructionem eorum, qui erudiri incipiunt, multarum rerum experientia utilis est: conabimur ea in medium afferre, quæ ueteres historici de illo prodiderunt. Ephorus itaq; Cumanus in ea historia, cui titulum fecit De rebus patrijs, eum Cumanum fuisse probare nitit̃, dicens: Atellem, Mæonem, & Dium genere Cumanos, fratres extitisse.

Exordiũ ab occupatione sumptum.

Homeri modestia.

Propositio.

Narratio.

Homeri patria secũdum Ephorum.

quorum Dium quidem obæratum, in Ascram Bæotiæ uicum cõmigrasse: & illic ducta in uxorem Pycimede, Hesiodum genuisse: Atellem uero in patria Cuma mortuum, filiã nomine Critheidem reliquisse. cui cum Mæonem tutorem dedisset, atq; is ob uitium uirgini factum uereretur, ne ciues sui pœnam ab ipso expeterent, eam Phemio, Smyrnensi ludimagistro nuptui dedit. Cæterum dum ipsa ad lauacra cõmearet, quæ iuxta Meletem erant, Homerum pone fluuium peperit: eamq; ob causam Melesigenes est appellatus. Cognominatus est autem Homerus, eo quod cęcus sit factus. Sic enim & Cumani, & Iones luminibus captos nũcupãt, eo quod uiæ ductorib. opus habeãt. Hæc Ephorus. Aristoteles autem in 3. lib. de Poëtica: In Io, inquit, insula (quo tẽpore Neleus Codri filius Ionicam coloniam deduxit) puellam quandam indigenã à dæmone quodam Musarum familiari imprægnatam: & cum eam facti puderet, propter

Dius Hesiodi pater.

Mæon & Critheis Homeri parentes.

Melesigenes.

Cur pro Melesigene Homerus sit appellatus.

Aristotelis sententia de Homeri patria & parentibus.

Homerus Dei cuiusdã, & Critheidis filius.

pter uterũ, quem gerebat, in regiunculam nomine Aeginan cõceßit. In quam dum latrones irruptionem fecißent, eam in seruitutem egerunt: & cum Smyrnam (quæ tum sub Lydorum potestate erat) duxißent, regi eorundem, nomine Mæoni, amico suo donarũt. Porrò cum rex puellam ob formæ elegantiã dilexißet, ac in matrimonium accepißet: dum illa apud Meletem uersaretur, & partus doloribus laboraret, forte fortuna Homerum iuxta flumen peperit. Quẽ sublatũ * Mæon pro suo educabat, utpote Critheide mox post partum extincta. Tempore autem nõ multo transacto, & ipse è uita migrauit. Porrò cũ Lydi ab Aeolibus præmerentur, & Smyrnã ducentes relinquere statuißent, principesq; per præconem edixißent, ut quicũq; ipsos sequi uellet, urbe egrederetur: ibi tum Homerus admodum adhuc puer ait, & se uelle homérein, id est, sequi: unde pro Melesigene Homerus est uocatus. Grandiusculus autem factus, & nonnihil gloriæ

Atq; hinc Homerus Mæonides dictus est.

Cur Homerus.

Homeri adolescentia.

gloriæ ob poëtices studium iam consecutus, deum cõsulebat: cum ex quibus parẽtibus, tũ ex qua patria oriundus esset. Is itaq; huiusmodi oraculũ edidit:

Deorum oracula de Homeri patria & parẽtibus.

Insula Ios patria est matris, tumuloq; subibis
Isthîc: at caueas moneo scirpos iuuenileis.

Fertur autem & alio oraculo sic ei responsum:

Fortunate, miser (siquidẽ genitus modo utrisq;)
De patria quæris, materna est, non patris illa
Metropolis, quã cõtinet insula nõ procul ampla.
A Creta distans, propè nec Minois ab aula,
In qua Parca tibi filum disrumpet amatum.
At bene (te moneo) iuuenum dicteria uites
Obliqua, & perplexa nimis quæ dicere pergent.
Duplex nanq; manet te sors, quarum altera tollet
Lumina chara: sed altera Dijs similem faciet te.
Viuens & moriens celebrabere: sed moriẽs plus.

Non ita multò post * ad Ienseis nauigans, ad Saturnalia (certamen autem hoc Musicum apud illos habetur) ad Ium uenit. Ibi cum in saxo considêret, piscatores littori appellãteis interrogabat, nunquid haberent. Illi autẽ eo quod nihil cœpissent, sed propter piscium penuriam, pediculos quærerent,

Apparet Guarinum εἰς θήβας, id est, ad Thebas legisse. Aldus autẽ, quẽ secutus sum, εἰς ἴ-ον legit, quorũ et Stephanus de Vrbibus memi-

rent, ita responderunt:

Quæ nūc cepimus, hæc finimus, nō capta tenemus.

Aenigmate significantes, quod pediculos captos & occisos deseruissent: quos uerò non cepissent, in uestimentis gestarent. Quod cum Homerus coniectando assequi non posset, præ animi dolore mortuus est. Quem ubi Ienses magnificè sepeliissent, eiusmodi distichon sepulchro inscripserunt:

nit: ita ut uerisimile sit, Homerū ideo ad hoc festiū profectū, quod mater ipsius indidē oriunda esset. et quod oraculo ei respōsum esset fore, ut isthic tumulo mandaretur.

Continet hic tumulus uatem cognomine Homerū,
Qui cecinit laudes Heroum, & fortia gesta.

Epitaphium.

Sunt autē qui & Colophonium fuisse maxima cōiectura, & euidenti argumento probare nitantur: quippe cum in illius statua talis sit inscripta elegia:

Alij aliter de Homeri patria sentiunt.

Mæonides decus es cunctis, & gloria Græcis:
Præcipuè at decoras tu Colophona tuam.
Nanq; duas natas diuina mente creasti,
Semideûm celebras dum benefacta ducum.
Altera enim errores magni describit Vlyssis,
Altera Troiugenûm bella, Iliiq; malum.

Cur Colophonius sit existimatus.

Haud indignum uidetur, & Antipatri perquàm lepidum epigrāma huc adscribere, quod sic habet:

Antipatri epigramma.

Hi te Mæonides aiunt Colophonis alumnum,
Ast alij Smyrnæ, dein alij esse Chij.
Dein alij claræ Salaminis, liq; peramplæ:
Deniq; Thessaliæ, quæ peperit Lapithas.
Quũ uariam uarij aßignẽt patriam tibi Homere,
Vatidico dicam carmine uera tibi:
Cœlum ingens patria est tibi, nec genitus muliere
Mortali: sed enim Calliope peperit.

Quando floruerit. Eum autem natum esse ipso tempore Troiani belli, quidã autores sunt. Quidam uero centũ annis pòst. Alij uero centum & quinquaginta. *Duo Homeri opera.* Cæterum duo poëmata scripsit, Iliada & Odysseam. *An Batrachomyomachiã & Margitem scripserit.* Nam qui tradunt eũ bellum ranarum & murium, & Margitem, exercitij & lusus gratia conscripsisse, falluntur. *Troiani belli occasio.* Troiani autem belli occasionem quidam hanc fuisse perhibent, quod Alexãder de tribus deabus, Iunone, Minerua, & Venere, de formæ elegantia inter se contendentibus, sententiam dixerat. sic enim Poëtam canere:

Iliad. ω *Cõdemnasse Deas referunt, quando ipsum adiêre:*
Collaudasse sed hanc, quæ tristia suauia donat.

Sed profectò indecorũ esset suspicari, Deos ab hominibus iudicari: præsertim

sertim cum nusquam alibi Homerus id asserat. Quo fit, ut prædicti uersus merito * reiecti sint. Satius itaque est, ut credamus Alexandrũ Priami filiũ, inuisendæ Græcanicæ conuersationis causa, Spartam nauigasse. Et cũ benigne ab Helena (absente tum Menelao) hospitio susceptus esset, illam persuasisse, ut se sequeretur. Cũ uerò insulam nomine Cranaam attigisset, isthic cum ea primum concubuisse. Et dum isthinc soluisset, per Sidonem & Phœniciã, Ilium rediisse. Quod facinus ubi Agamemnon & Menelaus resciuerunt, exercitũ in Aulide Bœotiæ ciuitate coëgerunt: ubi cùm Diis litarent, Draco propinquam arborem cõscendens, octo passeris pullos unà cum matre interfecit. quod portendebat fore, ut Græci nouem annis belligerarẽtur, ac decimo demum Ilium caperent. Cum itaque ex Aulide soluissent, Troiam attigerunt: & post primum conflictum (in quo Protesilaus occubuit) cum Menelaũ, tum Vlyssem, legatos ad Helenam

Supple ab Aristarcho & Zenodoto grammaticis.

Aulis.

Rerum ad Troiam gestarũ series.

nam repoſcendam miſerunt. Troianis autem renuentibus, rurſus prœliū committebant: in quo ſuperiores facti, exercitum in duas partes diuiſerunt: unam quidē ad Troiæ obſidionem relinquentes, alterā uerò ad proximas urbes uaſtandas duce Achille dimiſerunt, in hoc, ut ſociorum auxilio Troianos nudarent. Ex quibus

Chryſa. una Chryſa capta, Chryſeidem Chry-

Chryſeis. ſæ ſacerdotis Apollinis filiam, Agamemnoni dono dederunt. Is autē ad nauium ſtationem profectus, ut filiā ſuam redimeret, contumelioſè ab Agammenone tractatus, Apollinē precatus eſt, ut ipſum de Græcis ulciſceretur. Quod uotum ubi Deus exaudiſſet, peſtem eis immiſit. Ibi tum Achille ſuadente, ut Chryſeis redderetur: Agamemnon id indigne ferens, interminatus eſt, ſe Briſeidem Achilli donatam erepturū. Ille autem matrem Thetidē perſuaſit, ut à Ioue poſtularet, quo Græci in pugna inferiores redderent. Quo impetrato, Patroclus Neſtoris auſpicio Achilli ſupplicauit,

cauit, ut sibi saltem ad breue tempus armaturam suã usui daret, uti Troianos à nauibus pelleret. In pugnam itaq; prodiens Patroclus, generosè ac fortiter se gerens, non ita multò post interfectus est. Quam rem Achilles molestè ferens, Agamemnoni reconciliatus est, sumptaq; uniuersa armatura, à Vulcano fabrefacta, cũ alios multos, tum tandẽ Hectorem interemit. Hic igitur rerum apud Ilium gestarum ordo est. Cæterũ Poëta à nono anno ideo exorsus est, quod ea quæ ante Achillis iram contigerunt, admodum leuia, nec ulla magnanima facta utrinq; sint gesta. Siquidem dum Achilles Græcis opem ferret, Dardanidæ portis se cõtinuêre reclusis, Pelias incussit siquidem illis hasta timorem. Magna uerò fiducia prodierunt, dum ille pugna abesset. Atque dum æquo Marte pugnaretur, multipharia & continua heroum bene gesta edita sunt. Cæterum iure optimo Homerum legimus, quod temporis quidẽ diuturnitate quàm plurimos:

Cur à nono decimũ anno Troiani belli historiã exorsus sit.

Homeri laus à uetustate & omnimoda eruditione.

ingenij autem uiribus, omneis excellat. Etenim maximã ex eo utilitatem capere possumus, siue dicendi artificium, siue sententiarum pondus, siue multiplicem rerum scientiã spectes.

Genus & seculũ Homeri per Epilogum particul. repetit.

Dicamus itaq; de ipsius poësi, ubi genus ipsius paucis repetiuerimus. Homerum Pindarus & Chiũ, & Smyrnæum fuisse tradit. Simonides Chiũ, Antimachus & Nicander, Colophonium. Aristoteles autẽ philosophus, Iensem: Ephorus historicus, Cumanum. Nec quosdam piguit eum Salaminium, à Cypro oppido appellare. Quidam uerò Argiuum fuisse asserunt. Aristarchus autem, & Dionysius ille Thrax, Atheniensem. Cæterum ab alijs filius Mæonis nuncupatur, ab alijs uerò Meletis fluuij. Porrò quemadmodum de genere ipsius, sic & de tempore quo uiguit ambigitur. Siquidem Aristarchus refert, eũ circiter Ionicam emigrationem (quæ post * Heraclidarũ descensum annis sexaginta contigit) floruisse. Heraclidarum autem res gestæ octoginta annis

Supple in Peloponnesum, teste Eusebio in

nis post Troiæ excidium extiterunt. Crates uerò ante Heraclidarum descensum, illum fuisse tradit: ita ut non solidis octoginta annis Homeri seculũ à Troiano excidio abfuerit. Quin & à plerisq; creditus est, centum annis post Troianas res esse natus, non multò ante Olympicorũ certaminũ institutionem: ex qua & tẽpus secundum Olympiades supputatur. Sunt aũt illius poëmata duo, Ilias et Vlyssea, quorum utrũq; iuxta numerum elementorũ alphabeti, in uiginti quatuor libros digestum est, nõ quidem ab ipso poëta, sed ab Aristarcho grãmatico. Cæterum in Iliade hæc duo continentur, primum & Græcorum & barbarorũ gesta ad Ilium, idq; propter Helenę raptũ: et pręcipuè achillis strenua opera, in hoc bello nauata. In Odyssea autè Vlyssis reditus in patriã ex Troiano bello, & quæcũq; per errores in redeundo perpessus est, describuntur. Ad hęc quomodo de procis domui ipsius insidiantibus pœnas expetiuerit. [a] Vnde constat

Chron. Cæterũ de Heraclidarũ origine, & imperio, lege Herodotũ in Clio.

De quibus uide Chronica.

Duo poëmata.

Vtriusq; status.

a Quid in utroque poëmate spectãdum.

Homerū nobis in Iliade quidem corporis robur expressiſſe: in Odyſſea uero animi generoſitatē. [a] Quod uero nō ſolum uirtutes, ſed & animi uitia (ut ſunt triſtitia, gaudiū, metus, & cōcupiſcētia) in hiſce poëmatis proſequitur, poëta nō eſt accuſandus: imò uero & commodi mores, & incōmodi excerpendi ſunt, eo quòd ſine his admiranda facta non conſtent. quæ dum quis audit, optima quæq; inde eligenda ſunt. Nam quòd Deos cum hominibus cōmertium habenteis introducit, non ſolum delectationis & admirationis cauſa ab illo factum eſt: [b] ſed etiā ut per hoc innueret, quòd Dij homines adiuuent, & illorum minime negligentes ſint. Et ut ſummatim dicam, admirabili & fabuloſa rerum narratione ideò utitur, quo ſedulitatem, & admirationem lectoribus incutiat, & auditorem ſuſpēſum reddat. Quo fit, ut quædam præter decorum dixiſſe uideatur. [c] Etenim probabilitas ſemper ex admirandis ac eximijs rebus propoſitis, ſequitur. Quapropter

a Ab epilogo par. ad inſtitutū redit, docēs primum in genere cur Homerus et uirtutes & uitia in ſuis poëmatibus pſecutus ſit: et cur admirabili & fabuloſa rerū expoſitiōe utatur. Deinde ſpeciatim ad ea præſtanda deſcēdit, quæ ſuprà promiſerat: uerborum uidelicet, et ſententiarū pondus, ac multijugam rerū ſcientiam in Homero demonſtrādam.

b De his infrà copioſius, ubi moralē philoſophiam tractat.

c Ex Guarini interpretatiōe patet, eū οὐ γ, πρὸ τοῖ γὰρ legiſſe.

propter non solum res, sed etiam uerba extollit, & à communi consuetudine transfert. Quod uero noua, & nõ omnibus obuia identidem suspiciat, & auditoris beneuolentiã captet: nemini obscurum est. Præterea ex fabulosis istis orationibus (si quis non oscitanter, sed accurate singula dicta perpendat) patebit, quãtus in omni scientiarum & artiũ genere Homerus fuerit: quamq; multas occasiones, & tanquam semina quædã tum uerborũ, tum rerum omnigenarũ, posteris suppeditauerit: idq; nõ solum ligata, sed & soluta oratione utentibus scriptoribus, ut sunt historici, oratores, & philosophi. Videamus igitur in eo primum multiplicẽ dictionis usum, deinde multijugam quoq; rerum cognitionem.[a] Omnis itaq; poësis quadam dictionum serie inter se coniunctarũ, rhythmo uidelicet ac metro conficitur. Quandoquidem si id, quod planum & blandũ est, grauitate & suauitate simul condiatur, lectores delectando attentos reddit. Quo fit, ut

Sub Homeri fabularum inuolucris, semper aliquid mysticũ latet.

Proponit quo ordine Homer. poësim enarraturus, ac celebraturus sit.

a Vnde apta poësis cõstet.

ob eandem causam animi illorũ non solum extra se rapiantur, & aures demulceantur: uerũ etiam facilius persuadeantur ijs rebus, quę ad uirtutem parandam faciunt. Cæterum Homerici uersus perfectissimo metro cõstant, hoc est hexametro, quod & heroicum appellatur. Et hexametrum quidem dicitur, quod unusquisq; uersus sex pedes complectitur: quorum unus ex duabus lõgis syllabis, nomine spondeus, cõstat. Alter uero ex tribus, priore quidem longa, posterioribus uero duabus breuibus, qui dactylus uocatur. Paribus autẽ inter se temporibus uterq; est. Duę nanq; breues syllabæ uni longæ æquipollent. Atq; hi duo pedes inuicẽ positi, hexametrũ uersum cõstituunt. Heroicum aũt ideo appellatur, quod hoc carminis genere heroum facta celebrãtur. Varia autẽ dictione idcirco usus est, quod ex omni Græcorũ dialecto loquendi formas suis poëmatis interseruit. Vnde & constat, quod totã Græciam, & cũctas illius nationes peragrauerit.

Quo genere carminum usus sit.

Cur hexametrũ

Eiusdem pedes.

Heroicum.

Homerus cũctis Græcorum dialectis est usus.

grauerit. Nam Doriensium defectu (qui perquàm familiaris est breuitati studentibus) usus est: pro dictione do ma, id est, domus, dicens, do: ut, Statim autem ei domus magnifica obtin git. Et pro hoti, id est, quod, ho: ut, Quod aquila mihi anseres interfecit. Et pro opiso, id est, retro, aps, o quidē in α, π uero & σ, in cognatā ipsis literam, nempe ψ, mutando. Deniq; pro allote, id est, alibi, allo: ut,

Dorica apocope.

Odyß. 1.

Ianq; alibi præcepta tua hæc sic cere modestum.

Et huiusmodi. Ad eundem modum & medias concidendo dictiones, ait pro homotrichas, id est, eiusdē capilli, hotrichas. Et pro homoeteis, id est, eorūdem annorum, oëteas. Et pro homopatrion, id est, eiusdem patris, hopatrion: pro tremein, id est, tremere, trein: pro timo, id est, psoluo, tio. [a] Eorundem Doriensiū est, & literas trāsponere: ut quum dicūt pro cratistoi, id est, optimi, cartistoi. Aeolum uero syncopa in compositis dictionibus utitur, caddratheten dicens, pro catedratheten, id est, dormiui. Et hybballein,

Dorica syncope

a Μετάθεσις Δωρικὴ, qua & Germani utuntur. Inferiores namque dicunt, bûrnen, burn: quū supiores brûnnen & brun dicant.

Aeolica cōcisio in compositis.

lein, pro hypoballein, id est, subijcere. Deinde tertias imperfecti personas apud alios in ει diphthongũ desinentes, Aeoles per η efferunt: ut quũ pro ephilei, id est, amabat, ephilη: & pro ἐnoei, id est, cogitabat, enoη dicũt. Quem morem & Homerus secutus, ait: Teneris uirgultis uinciebat: pro edei, id est, ligabat. Et,

ει in imperfectis, in η.

ει. In græco δεῖ mendũ est. proinde δῆν legendum puto. Siquidem Plut. ostendere uult, Hom. Aeolico more ει in η mutare.

Humida quos neq; permeat ulla potentia uenti.

Ad hæc quum mutant σ in δ, ac dicunt ὀdmη, pro osmη, id est, odor: & idmen, pro ismẽ, id est, nouimus. Præterea pleonasmo in quibusdã dictionibus utentes, ut quum pro hecηlos, id est, trãquillus, eucηlos: & pro atar, id est, sed, autar dicunt. Et quũ secundæ uerborũ personæ tha particulam adijciũt: pro ephηs, id est, fatus es, ephηstha: & pro εἴπῃς, id est, dixeris, εἴπῃσtha dicentes. Porrò consonantiũ duplicationẽ alij Doriẽsibus, alij Aeolibus tribuũt. Cuiusmodi illud est, Corripuit mors atra. Vter ista opera, suppleedidit. Ionũ autẽ proprietatẽ obseruat, dum aphæresi in præteritis uerborum

Mutatio σ in δ.

Pleonasmus, seu epenthesis.

θα partic. secundis uerborũ personis adiecta.

Consonantiũ duplicatio.

Aphæresis Ionica.

borũ tẽporibus utitur: uelut quũ bꙋ
dicit, pro ebꙋ, hoc eſt, iuit. & docen,
id eſt, dedit. Siquidẽ in more habent,
pręterita tẽpora ab ijſdẽ literis inchoa
re, quibus & præſens: & auferre ε in *Syncope Ionica.*
dictiõe hireus, id eſt, ſacerdos: & irꙋx,
id eſt, accipiter. Pręterea tertijs ſubiũ- *Paragoge ſeu proſthεſis.*
ctiui modi perſonis σι addunt, ut quũ
pro elthꙋ, id eſt uenerit, elthꙋſi: & pro
λάβῃ, id eſt accepit, λάβῃσι dicũt. Quã
particulam & datiuis adijciũt, θύρῃσι,
ὕλῃσι, id eſt, ianuis, ſyluis, dicẽtes. Ad *Synæreſis, & epentheſis.*
hęc dum tounoma, id eſt nomen, &
nouſon: pro τὸ ὄνομα, & τὴν νόσον, id eſt
morbũ: κεῖνον pro κενόν, id eſt uacuũ:
& meilan pro melan, hoc eſt nigrũ,
efferunt. Deniq; & α cũ productũ fue
rit, in η mutãt, pro ἥρα, id eſt Iuno, ἥρη: *α longum in η, & econtra.*
et pro ἀθηνᾶ, id eſt Minerua, ἀθήνη, effe
rẽtes. Et accidit, ut ecõtra η in α mutã-
tes, dicant pro λελησμένος, id eſt, obli-
tus, λελασμένος. Inſuper & circũflexa
ita per dięreſim efferũt, pro φρονῶν, id *Diæreſis uerborum, & nominum.*
eſt intelligens, φρονέων: & pro νοῶν, id
eſt cogitans, νοέων dicentes. Eodẽ mo
do & genitiuos ſingulareis in οῦς deſi

nenteis proferũt, ut Diomedeôs, Sapphoos, id est Diomedis, & Sapphonis. Et circunflexos genitiuos pluraleis, *ut Poleorum, Perseorum. Denique & pluratiuos nominũ neutri generis rectos in *α* desinenteis, ut pectora, membra. Atq; idem de eiusdẽ numeri genitiuis iudicium. Cæterũ hoc eis præ alijs Græcis familiare est, ut pro *τετραμμένοι ἦσαν*, id est, uersi sunt, *τετράφαται*, & similia dicãt. Maximè uero Attica dialecto usus est, idq; propter uarietatem. nam quemadmodũ Attici pro *λαὸς*, id est populus, *λεὼς* dicunt: sic & ipse Peneleos, & *χρέως*, id est debitum. Est autem eis familiare, contractionibus nonnũquam uti, & pro duabus unam syllabã facere, ut pro *τὸ ἔπος*, id est, uerbum, *τοὖπος*. & pro *τὸ ἱμάτιον*, id est, uestimentum, *θοἰμάτιον*. Quibus illud Homericũ affine est: Troiani aũt inclinauerunt frequẽtes. Et illud, *Cãpos lotũ ferẽteis. [a]Ad hęc *ν* ex huiusmodi optatiuis tollunt, *δοκοίης*, id est, utinam uidereris,

Id loci græcè nõ ῖς, sed ὡς legendum.

Idiotismus solis Ionibus usitatus.

Hom. Attica dialecto imprimis usus est.

Synalœpha.

* *Odyss. 9. uide prouerb. λώτου ἐφαγες.*

a Aphæresis τ̃ ν ex secũda persona opt. de qua legito Vrbanũ, ubi formationẽ optatiui actiui uerborũ in ω, primæ & secundæ cõiug. tractat.

δοκοῖς,

φονοῖς: τιμώης utinā honorares, τιμῷς. Est quoq; Atticismus, quādo per euocationem dicitur, Alij uero dijudicaueritis celerrimè. Et quū dicunt, Plures deteriores, pauci uerò patre meliores. Quādoquidē in cōmuni lingua dicimus, κακείονες, &c. Solent quoq; huiusmodi accusatiuos non per diæresim efferre, boues, pisces, βοῦς uidelicet pro βόας circūflectentes: ut quū Homerus dicit, Pisces auesq;. Et illud Atticè dictum est, Neq; ipsum robore rūpit fluentes. Sic, iungit, iurat. Præterea & breues uocales Attici ex uerbis abijciunt, ut lauatur, existimo. Ad quē modū & pro ἐλύετο, id est soluebatur, λῦτο dicunt. Eorundem est dicere, uidebā, & profui, ita ut ε præter necessitatē addāt. Vnde est etiam, Vinum infundebat. ι quoq; in huiusmodi dictionibus contrahunt, ut pro ἠιόνες, id est litora, ἠόνες: & pro Νηρηίδες Nereides, Νηρῇδες dicant. Sic & illud habet, Vos autem duo admodū uolebatis. Deniq; in datiuis in ι purū desinentibus, quorū penultimam α obtinet,

Euocatio Attica.

Verba sunt Mineruæ sub Mentoris persona, ad Telemachū. Odyß. 2.

βοῦς, pro βόας.

Sic Terent. Aperite aliquis.

οἶμαι ἀντὶ οἴομαι.

Atticū augmentum.

Synæresis in qua ι eliditur.

 net,

net, idem fit, ut cornu, senectuti, iubari. Est & hoc Atticũ, ubi dicitur, sint, & sequantur. Eiusdem cõsuetudinis est, quod optatiuos pro præteritis indicatiui usurpant: qua & Homerus identidem utitur. Præterea quum nominibus fœmininis, articulos, participia, & adiectiua masculina coniungunt, ut manus, mulieres: id quod & Platoni familiare est, ut quum dicit, agentes, & ferentes: sapiens, ac iustus mulier. Sic igitur & Homerus de Iunone ac Minerua loquẽs, ait: Nequaquam in nostris curribus perculsi fuerint. Et, Sanè Minerua inuitus erat. Et, Inclytus Hippodamea. Porrò quũ Dialecti multã quoq; in constructionibus proprietatem habeant; quãdo Poëta dicit,

Syncopa ἴσων, pro ἰσωσαν.

Opt. pro præterito Indicatiui.

Cum substantiuo fœm. adiecti uum masc. construitur.

Ast age diuini iaculis pete tu Menelai:

Atticã cõstructionem refert. Et quando ait, Accepit sibi sceptrum: & Themidi pulchrigenę acceperat pateram. In hoc uero ostendit, quod omnium Gręcorum uoces cõgerendo uariam orationẽ efficiat, dum utitur nonnunquam

Attica constructio, genitiuus uerbo trãsitiuo iungitur.

Varietas hæc nõ nisi in Græcis dictionibus spectanda est.

quam peregrinis, ut sunt prędictæ: aliquando uerò priscis, ut quũ dicit, ensis, scutum: nonnunquam uero communibus & assuetis, ut quando ait, gladius, clypeus. In cõfesso etiam, & admiratione dignũ est, quod uulgares dictiones apud eũ orationis grauitatem retinent. Cæterum quoniam ornata oratio à communi consuetudine discedit, unde & euidentior, grauior, ac modis omnibus iucũdior fit: atq; uerborũ immutatio, tropus: sententiarũ autem, schema uocatur: horum deniq; species in arte dicẽdi perscriptę sunt: uideamus num horũ aliquid ab Homero prætermissum sit, num'ue aliud quiddam à posteris inuentum sit, quod ille non prius dixerit. Inter tropos itaq; Onomatopœia admodũ illi familiaris est. Nouerat enim priscam nominũ originẽ, quod hi, qui primitus nomina rebus indiderãt, pleraq; ab euentu appellassent, & inarticulatas uoces in scripta retulissent: ut quum dicerent, inflare, secare, mugire, tonare, & his similia.

De quo Quintilianus lib. 10. cap. 1.

Ornatæ orationis uis.

Lege Fabiũ lib. 8. sub finem 5. et ab initio 6. cap. Item Cic. in Bruto, seu de Claris oratoribus.

Nominis fictio.

Primi rerum nomenclatores.

Vnde & ipse quædam nomina prius non existentia, ita finxit, ut cõformia essent rebus per ipsa significatis. cuiusmodi est, quũ ait, sonitũ, strepitũ, bombũ. & Crepa, &, resonabat: &, bulli, aliaq; istiusmodi, quibus nemo magis insignia inuenerit. Et rursus ubi alias dictiones ad alias res pertinenteis, alijs tribuit: ut quũ dicit, Malum incendium ferens, efficaciam in conflagrando significans. Et dum febrem pro igne ponit. Quibus & hoc affine est, Vulnera ferro percussa: ferro nanq; inflicta significare uult. Denique ut summatim omnia complectar, multa uerborum nouitate, multa cum licentia usus est: alia quidem præter cõsuetudinem immutans, alia uero eam ob causam insigniora redd ẽs, ut orationi decus & magnificentiam adderet. Præterea epithetorum copia illi est, quæ propriè, & suo loco subiectis accõmodata, uim proprijs nominibus æquipollentẽ habent: ut quum singulis Dijs, singulas appellationes attribuit, Iouem consultum, altitonantem,

Fictitia Homeri uerba.

Effectus pro causa efficiente: id quod alij ad metonymiã referunt.

Apposita, seu adiectiua pro substantiuis proprijs.

titonantem: & solem hyperionem, id est super nos gradientem, & Apollinem splendidum uocans. Cæterum absoluta onomatopœia, alios quoq; tropos uideamus. Abusio quidem (quę usum ex eo, in quo aliquid propriè significatur, in aliud, propriũ nomen non habens, transfert) apud poëtam est, ubi ait, catenam auream. Seira nanq; funiculum propriè denotat. Et ubi dicit, caprinam galeam: siquidem galea ideo apud eum canina appellatur, quod ea olim ex canina pelle conficeretur. Inibi uerò et eã galeam caninam uocat, quæ ex caprina pelle facta erat. Trãslatio aũt (quæ inde nomen sortita est, quod rem à propria significatione in aliam, cũ cõueniẽte utriusq; rei similitudine trãsferat) & multa, & uaria apud illũ est, ut illud:

Apollo cur hyperion?

Catachresis.

σειρὰ quid proprie.

κυνέη.

Metaphora quid?

Contulit huc fracto se magni uertice montis. Et,
Insula, quam pontus circumluit, atq; coronat.

Quam enim rationẽ uertex in homine, eam & cacumen in monte: & quã corona ad eum cui imponitur, eandẽ

& mare ad insulam habet. Porrò affinibus, pro proprijs nominibus utēs, orationem non solum speciosiorem,

Eiusdē diuisio. uerumetiam euidētiorem facit. Sunt autem uariæ apud eum metaphoræ,

Ab animatis ad animata. quædam ab animatis ad animata, ut:

Cæruleæ nauis sic est auriga locutus.

pro eo quod est, nauita. Item,

Iuit ad Atriden pastorem mox populorum:

Ab animatis ad inanimata. pro eo quod est, regem. Aliæ autem ab animatis ad inanimata, ut, Sub extremum Idæ pedem: hoc est, radices.

Pes montis. Itē, ubertas agri, id est fertilitas. Aliæ

Ab inanimatis ad animata. econtra ab inanimatis ad animata, ue luti, ferreum profecto pectus: id est, durū. Postremò ab inanimatis ad inanimata, ut semen ignis seruans: hoc

Ab inanimatis [illegible] inanimata. est, naturalem originem. Porrò sicuti

[illegible] translatio. nominū, ita & uerborum translationes apud eum sunt; ut,

Littora nanq; boant, feriente salo, atq; procellis:

pro sonant. Alius deinde tropus (quę

Metalepsis. transumptio uocatur) fit, quando per cognominationem res diuersa significatur: ut,

Inde uelocibus insululis immisit abundè.

insulas

insulas enim, quæ propriè appellātur magnificæ, significare uult. Eiusdem nanq; significantiæ[a] utraq; uox Græcis est. [a] Acutū nāq; illis nō solū uelocitatē motus significat: sed etiā figuratè id, q subtiliter factū est. Istiusmodi et hoc est, Ego autem [b] festinās astiti. Alius tropus [c] Intellectio uocat̄, quando ex eo, quod propriè significatur, aliud quiddam eiusdem generis intelligitur. [d] Estq; simili modo uarius. aut enim [e] ex toto partē intelligimus, ut, admurum bene structū [f] boues torridos. Boum nanque appellatione, corium, ex quo scuta fieri solent, innuere uult. Aut [g] ex parte totū, ut, huiusmodi aūt caput desidero. Siquidem uoce capitis, totum hominem significat. Et quando pro pulchra, candidis ulnis prędità: & pro bene armatis, benè ocreatos dicit. Aut, [h] ab uno multa, ut quando ita de solo Vlysse dicit: Postquàm sacrum Troiæ oppidū deuastauit. Neq; enim ille solus, sed unà cum aliis Græcis Troiā euertit. Econtra ex multis unum, ut pectora iucunda

b Sic & Germa in acutū pro magnifico usurpamus: dū magnificam, seu fastuosam mulierē significantes dicimus: das ist ein scharpff vuyb.

a θοόν, ὀξύ.

b Hesychius exponit, λαμπρυνθεῖσα, id est, illustris.

c Synecdocha.

d Eiusdem diuisio.

e Ex toto pars.

f Exempla huius in isto uersiculo perpende, Porcus per taurum sequitur uestigia ferri.

g Ex parte totum.

h Ab uno multa.

Ex multis unũ. da, pro pectus. Prȩterea ex specie genus, ut marmore aspero iacto. Marmor nanq; saxi species est. Aut econtra ex genere species, ut:

Ex specie genus.

Ex genere species.

Noscere aues, & idonea dicere multa roganti.

Siquidẽ non quasuis, sed auguraleis tantũ aues dicere uult. Ad hæc ex adiunctis effectum rei, ut,

Ex accidẽtibus, rei effectus.

Pandarus, huic dono dedit arcũ Phœbus Apollo.

Arcus enim nomine sagittandi peritiam notat. &, Sedentes candidã redebãt aquã. &, Alij uerò tota die sandalij lorum mouebant. Ex accidenti nanq;, in priori exemplo, remigabãt: in posteriori autem, currebant, intelligi debet. Insuper ex prȩcedenti consequens, ut, Virgineam soluit zonam. ex eo nanq; sequitur, quod uitiauerit. Econtra ex consequenti præcedens, ut quãdo pro occidere dicit, exarmare, id est spoliare. Est autem & alius tropus Denominatio, quæ fit, quãdo dictio de alia re posita, aliud quiddã secũdum relationem significat: ut est apud eum,

Ex præcedenti consequens, & econtra.

Metonymia.

Ast iuuenes terræ Cererem concredere pergunt.

triticeum

triticeum nanque fructum designat, quem sic ab inuentrice Cerere denominauit. Et ubi ait:

Viscera Vulcanum super, at transfixa tenebant.

Vulcani nanq; uoce ignem declarat. Porrò affine iam dictis et hoc est, Qui meam choenicem attigerit. ea nanq; quæ in choenice continentur, innuit. Præterea & alius tropus, Pronominatio uocatur: & fit, quum epithetũ, aut consignificatiuum, pro proprio nomine accipitur: ut,

Verba sunt Telemachi ad Eurycleam. ‹al› initio li.19. Odyss.

Antonomasia.

Aeacides Atriden rursus uoce petulca Increpuit.

Patronymicũ, pro proprio.

Per hæc enim Achillem, & Agamemnonem intelligit. Et rursus:

Sis animo fidens Tritonia, filia chara.

Et in aliis, Phoebus intõsus. illic enim Mineruã, hic uerò Apollinem denotat. Est & Antiphrasis, dictio, quę cõtrariũ, quàm præ se fert, significat: ut in hoc,

Antiphrasis.

Hos ubi conspexit, non est lætatus Achilles.

Cõtrarium enim dicere uult, nempe quod his cõspectis indoluerit. Est & Emphasis, quæ animi cogitatione uehementiam dicto addit, ut,

Emphasis.

Ast

Ast in equũ descendentes, quem struxerat Epeus.

Dum enim inquit, descendebamus, equi magnitudinem declarat. Simile autẽ & illud est, Totus uerò gladius sanguine incaluit. per hoc enim maiorẽ emphasim ostendit, ꝙ ait ensem adeò sanguine tinctum fuisse, ut incaluerit. Huiusmodi quidem tropi (qui sic uocantur) ab Homero ficti sunt.

Transitio.

Videamus autẽ & cõstructionis mutationes, quæ figuræ appellantur, num & has Homerus primitus inuenerit.

Quid sit figura

Porrò figura est sermo à cõmuni consuetudine recedens: ornatus, seu utilitatis gratia, secundum quandã fictionem mutatus. Dicẽdi nanq; uarietas, orationem nõ solum uenustiorẽ, sed etiam stylum grauiorem efficit. Vtilis autem est, quod rerum & qualitatem ac uim extollit, intenditq;. Inter schemata autem pleonasmo nonnunquã metri causa utitur: ut in hoc, Auri autem appendens Vlysses decẽ tota talenta. nam uox Tota nihil ad sensum faciens, adijcitur. Est etiam quando ornatus causa fit, ut, Certe admo-

Eiusdem uis, & usus.

Pleonasmus, & eiusdem species

dum

dum mortuus est Menœtij strenuus filius. dictio nanq; * Valde, attica cõsuetudine abundat. Nonnunquam uerò pluribus dictionibus significatũ refert, quę figura [a] Circuitio appellatur: ut quũ dicit, Filios Achiuorũ, pro Achiuos: & uim Herculeam, id est Herculẽ. Talia uero per mutationem figuratè dicit, dum cõsuetã structuram inuertẽs, dictionem in medio interponit, quę figura Trãsgressio uocatur: ut in hoc,

Haud secus atq; leo de taurum pascit obesum.

Pro eo quod est, leo taurum deuorauit. ac dictionem quidẽ sic transgreditur. [c] Aliquãdo uero totam orationem: ut in hoc,

Filij Achiuorum clamant, ac personat omne
Nauigium: uocem dum tollit Achiua iuuentus,
Applaudens uerbis, quæ fecit diuus Vlysses.

Ordo nanq; est: Argiui multum clamabant, diuini Vlyssis orationem cõmendantes. Eiusdẽ speciei figura est, quæ Interpositio uocatur: & fit, quando extrinsecus quædam nihil ad institutum pertinentia interseruntur, quæ & si

μάλα Attica cõsuetudine abũdat: ut apud Bauaros, ballt: & apud Heluetios notten: quũ dicũt, er ist balt oder notten ein gut gsell.

a Periphrasis.

Hyperbaton. hanc figuram Gram. τμῆσιν, seu διακοπὴν appellant.

b Dictionis.

c Orationis.

Iλ. β

Parembola.

& si quis eximat, tamen constructioni nihil decedit: ut est illud,

Verba sunt Achillis IA. α.

Iuro per hoc sceptrũ, quod nec folia ulla, nec ullos
Ramos producet, postquã trunco illud ademptũ,
Florescet neq; enim, quod ferrũ rasit acutum.

& cætera, quæcunq; de sceptro dicit. Tandem principio quadrans, infert:

Certe olim cupiet Peliden turba Pelasga.

Pallilogia, Epanalepsis.

Est autẽ apud eum & Pallilogia, hoc est, repetitio alicuius partis orationis, aut plurium dictionum, quæ repetuntur. quæ figura & Reduplicatio uocatur: ut est,

Anadiplosis.

Huic aduersus ero, quamuis sit flammea dextra:
Flammea dextra siet, uis ignea, denuq; ferri.

Aliquãdo uero interserũtur alia quędam, & eadem rursus repetuntur: ut in hoc,

Ille quidẽ Aethiopas adijt, procul inde colenteis:
Aethiopas didicit postremos hic populorum.

Quis sit pallilogiæ usus.

Porrò figura hæc non solum dicentis affectũ declarat, sed etiam auditorem mouet. Eiusdẽ generis est & Relatio, cum ab initio plurium membrorum eadẽ particula repetitur: cuius exemplum apud poëtam hoc est,

Epanaphora.

Nireus

Nireus deinde rates ex Syma tres agit æquas, | ιλ. β.
Nireus Aglaiæ natus, Charopiq; potentis: | ἐν τῷ τῶν νηῶν
Nireus, ad Troiam quo non formosior alter.

Estq; similiter & hæc figura affectui mouendo, & suauiloquentię perquã familiaris. Est præterea apud eum & regressio: quæ fit, quando duas res & nomina ꝑponẽs aliquis, sensu nondum finito, ad utrunq; nominum redit, ac sententiæ defectum complet. ut in illo,

Eiusdem usus.

Epanodus.

Mars homicida, dea & Contentio litigiosa:
Hæc etiam turbas ciet, ac hostilia multa:
Ille autem manibus prægrandem cõcutit hastam.

Officium autem schematis istius est, orationẽ uariegatã & perspicuã reddere. Ad hæc schema apud illum est, Similiter desinẽs: in quo membra in dictiones sono simileis desinunt, easdem in fine syllabas habent. ut est:

Eiusdem usus.

Homœoteleuton.

a Præsentem hospitio accipies, mittes abeuntem.

Et in illo:

Fertur olympus, ubi sedes fiet alta deorum:
Nec uento, pluuiæq; fiet penetrabilis unquam:
Quem super alta cadat nec nix, sed lucidus aër
Panditur: hunc itidẽ splendor super emicat albus.

a Odyß. 15. Vide Erasmum prouer. Officium ne col. in inuitum. Figurã in græcis uersibus considera.

Quando uerò in nomina, quę simili-

ter

Homœoptotō.

Et hic figuram non nisi in Græcis agnosces.

Schematū prædictorum usus.

ter declinantur, periodi seu membra desinūt, idq; in eodem casu fit, Similiter cadens propriè appellatur: ut est,

Gens ut apū si quādo frequēs uenit, atq; cauernis
Egreditur, semper ueniente examine magno.

Prædicta uero, & his similia, multū gratiæ & uoluptatis orationi addūt. Cæterum Homerus specimen industriæ suę circa compositionem dedit, quod sæpenumero duabus etiā figuris in ijsdem uersibus est usus: nempe Epanaphora, & Similiter desinēte, ut in illo:

Duo schemata in ijsdem uersibus.

Bellè quisque acuat telum, bellè & sibi scutum
Ponat, & inde suis det pabula grata caballis.

πάρισον, de quo Cic. li. 4 ad Heren.

Sub his illud schema continet, quod Compar appellatur: fitq; ex duobus, aut pluribus mēbris, pares inter se dictiones habentibus. Hoc uerò & Homerus primitus finxit, dicens: Veriti quidem sunt abnuere, timuerunt autem suscipere. Quod uero & hæc figura multum ornatus in dicendo habeat, nemini obscurū est. Porrò eandem gratiā & Agnominatio habet, quādo præter nomen de quo agitur, aliud

Eiusdem usus.

παρονομασία, quā tamen Fab. à προσονομασία differre uult.

aliud ei simile, statim modico spacio subiungitur: ut est,

Nō siquidē hoc ualuit ualidus rex ille Lycurgus.

Et in alio,

Quis celer accelerans ductorem præbet amicū.

Cæterū prædicta aut per pleonasmū, aut per aliū quempiā schematismū figuratè dicunt: alia uero iuxta dictiōis necessitatem. quorum è numero & hæc figura est, qui defectus appellatur: quando (etiā omissa aliqua dictione) sensus ex prædictis patet: ut est,

Verba sunt Diomedis ad Glaucum. Il. 6.

Il. 2.

Transitio.

Eclipsis.

Nauibus excidisse urbes hominum duodenas,
Vndenas sed enim affirmo cum Marte pedestri.

Deest enim uastasse, intelligit aūt ex pdictis. Illud etiā per defectū dicitur:

Vna auis, auspicium, patriam defendere charam.

Deest enim uerbum, est: &,

Eheu magnanimi dolor Aeneæ mihi certe,

Subauditur enim, adest, seu accidit, aut simile quiddā. Huiusmodi est & dissolutio, quando coniunctiones locutionem coniungentes, tolluntur. Quod nō solum celeritatis, sed etiam emphaseos affectu plenæ gratia fit: quemadmodum illud,

Verba sunt Hectoris ad Polydamantem. Il. μ.

Asyndeton.

Eiusdem usus.

Iuimus in querceta uelut modo iußit Vlyßes:
Aediculas Circæ deprendimus hic fabrefactas.

In his enim, &,cōiunctio sublata est, dum is qui dicit, breuissimum enunciationis modū quærit. Est inter schemata etiam id, quod incōgruum, seu uariatio appellatur: & fit, dum cōsueta structura mutatur, & uaria redditur, in hoc ut oratio à uulgari constructione discedens, eò maiorem gratiam ac elegantiā habeat: ita tamē ut illius ordo quiddā propriū habeat, ad quod referatur. Contingit autem sæpenumero, ut nominum genera commutentur, ut est illud: Inclytus Hippodamia, pro inclyta. Et, fœmininus Eersa, pro fœmina. Veteribus nanq; familiare fuit, masculinis pro fœm. tanquam potioribus & uehementioribus uti. Nec uero incōcinnè, citraq; rationē hoc fecerunt: sed quando adiectiuo nomine utendum fuit, quod extra corpus erat, de quo mentio fiebat. Illa nanque circa corporis dotes uersantur, magnus magna, pulcher pulchra, & istiusmodi. Hæc autem ad

Inordinatū seu alloeosis.

Generum cōmutatio prima inordinati species Il.13.

Cur, & quando masc. olim pro fœminino sit usurpatum.

animi bona pertinẽt, ut gloriosus, fortunatus. Atq; hæc etiamnum in compositione ambigua sunt. Etenim in uniuersum omnia cõposita utriq; generi communia sunt. Ad hæc quãdo simul mas. & fœminino nomini uerbum, seu participiũ infertur, ibi tum masculinum præualet: ut in hoc,

Adiectiua composita.

Conceptio generum.

Virgineum decus, ac iuuenes puerilia curant.

Exemplũ nõ nisi in Græco apparet.

Quædam etiam præter dialectorum proprietatẽ, seu morẽ tum consuetũ, diuersimode ab eo dicuntur: ut est,

Ipse habet egregios ualde, longosq; columnas.

Generis ꝑmutatio, præter dialectorũ & publici usus morẽ.

Sæpenumero autem & metri causa, genera commutat: sicuti in hoc,

Dono tibi hoc donũ, mi quàm charißime natum.

Siquidem τέκνον, id est, fili, nomẽ neutri generis est, cui adiectiuum masculinũ, chare, intulit: dum uocẽ ad personã refert. Simile est & illud, quod à Dione ad Venerem dicitur:

Natum iam tolerato meum, ac perferto dolores.

Eiusdẽ aũt proportionis & illud est,

Tiresiæ aduenit Thebani uatis imago,
Sceptra tenens:

Odyß. 11.

Participium nanq; ἔχων, id est tenens,

non ad umbram, sed ad genus corporis, hoc est, ad ipsum Tiresiam accommodauit. Sæpe enim non ad uocem, sed ad sensum respicit: ut in hoc,

Oratio sensu, nō uoce congrua.

Omnibus est animus motus, motiq; phalanges,
Aeaciden cupiunt: qui naues desidet altas.

Nō enim phalanges, sed uiri, unde illæ constant, Achillem desiderabant. Præterea & secūdum aliam mutationem, genera permutat: ut quū dicit,

Alia generis permutatio.

Cærula contexit nebula hunc, immobile perstans
Hocce quidem.

Quū enim nebula & nubes eiusdem significantiæ sint, & modo de nebula locutus esset, νέφος quod neutri generis apud Græcos est, intulit. Similia autem huic & illa carmina sunt:

Sub finem 2. Il.

Vt uolucrum istarum uolitant examina multa,
(Strymoniæq; grues, anser, colloq; superbus
Albus olor.) gaudent, alis hinc inde uolant quum.

Etenim quum generale auiū nomen in neutro genere præmisisset, ac dein de illarū species in masculino subiunxisset: rursus neutraliter infert, nempe cum strepitu desidentium: reddens ui delicet id, quod generali auiū nomini

familiare

familiare eſt. Non ſolum autẽ genus, ſed & numerum poëta ſæpiculè commutat, dicens:

Numeri alloeoſis.

Turba rates Græcas adeũt, permagna frequensq;.

Singulari enim ſuppoſito, plurale appoſitum ſubdidit: dum uidelicet ſenſum magis quàm uocem reſpicit. Siquidem uox multitudo, appellatione quidẽ ſingularis numeri eſt, multos autem in ſe complectitur. Simile autem à contrario eſt, quando ſuppoſito plurali, ſingulare appoſitum infertur: ut in hoc,

Hanc figuram Grãmatici ſyntheſim appellant.

Pectora magna gerunt, uolitatq; per aëra cũctus.

Omnis enim uoce quidẽ ſingularis numeri eſt: dum autem ad multitudinem refert, idẽ pollet, quod omnes. Eandem ſchematis formam & illud habet,

Hi Pylon attingunt, Neleïa mœnia clara:
Hi maris ad littus rem diuinam faciebant.

Pylij nanq; intelligũtur: Fit apud eũ & caſuum mutatio, ut quũ nominatiuus & uocat. in talibus cõmutantur:

Caſuũ alloeoſis.

Hoc facit infelix Agamemnona ferre Thyeſtes. Il. 2.
Et, Nubium congregator Iuppiter. Et,

Exẽpla in Græco conſidera.

Hæc casuũ mutatio magna ex parte Atticorũ est.

Da mihi charus, et haud deterrimus inter Achiuos.

Genitiuus autẽ & datiuus in huiusmodi mutatur,

Prima acie certat Phrygibus Paris optimus ille:

Pro, eo quod est, Phrygũ. Et econtra,

Exemplum in græco perpẽde.

Hæc extenta iacet iuxta spelæa cauata.

Pro circa spelũcam. Atq; mutationis

Cur casus inter se comutentur.

istius causa est, quod nominatiuus, accusatiuus, & uocatiuus quandã inter se cognationem habere uideãtur: propterea quod nomina neutri generis, & pleraque masculina, ac fœminina, tres istos simileis casus habeãt. Similiter autem & genitiuus cum datiuo quãdam affinitatem habet: idq; in duali omnium uocũ numero deprehenditur. Quo fit, ut & Homerus casus haud immeritò præter cõsuetudinem mutet. Nonnũquam uero & rationes est inuenire istius mutationis, ut in hoc, Scientes campi: &, Pertransibant campum: perinde nanq; est, ac si diceres, trãsibant per campũ. Belle autem & casuum permutatio apud illum habet, in utriusq; poëmatis exordio: in quibus accusatiuo præposito, rectum

Alia ratio, cur genitiuus pro accusatiuo ponatur.

Casuũ mutatio ab utriusq; poẽmatis initio.

rectum intulit, dicens:

Iram pande Dea, &c.
Magnorum fuerat quae causa dolorum. Et,
Dic mihi Musa uirum uersutum, qui mala multa
Sustinuit.

Est etiam quādo genitiuo rectum infert: ceu in isto,

Nominatiuus genitiuo illatus.

Horum nunc homines qui sunt.

Il. α.

Multa dehinc & alio modo figuratè dicit: quemadmodum est hoc,

Praedixisse Iouem affirmo, fateorq; nuisse:
Hocce die naues scandebant quando ueloces
Argiui, exitium Troiae, fatumq; ferentes:
Fulgura mittendo felicia, prospera signa.

Participia Attico more pro uerbis.

Huic autem nec illud est dissimile,

Fretus erat forma hic.
Festinanter eum portant sua genua.

Atq; haec secundum ueterem consuetudinē extulit, idq; non sine ratione. Si enim quis participia in uerba dissoluat, rationē deprehenderit. Siquidem fulgurans idem pollet, quod fulgurabat: & fretus, idem quod, cū fretus esset. His & illa sunt affinia,

Participium in praeteritum imperfectū ac perfectum resoluitur.

Haeq; duae rupes, quarū una polū attigit altū. Et,
Hi duo discreti, quorum alter adibat Achiuos:
Alter at in turbam Phrygiam ueniebat.

Hic figurã pro lepsim Grãmatici uocãnt

Nõ enim ratione caret, si quis de duobus aliquibus dicturus, nominatiuũ casum prӕordinet: & eo quod utriq; ipsorum commune est obseruato, nouum orationis genus efficiat. Quod autem nouitas orationis multum gratiӕ habeat, nemini obscurũ est. Denique est & ubi casu communi prӕposito, sermonem de uno infert; sicut in hoc,

Ambo sedent, Laertiades prӕcellit honore.

Nominũ alloeosis.

Cõpar. pro positiuo.

Suplatiuus pro positiuo.

Nominũ autẽ species immutat, dum sӕpenumero comparatiuum pro absoluto ponit: quemadmodũ hoc per superlationem, *Sanior ut redeas.* Nonnunquam uero superlatiuum itidem pro positiuo: sicuti hoc, Iustissimus Centaurorũ. Huiusmodi quidem nominũ mutatio est. Cęterum modi uerborum sic uariãtur, ut infinitiuus pro imperatiuo accipiatur: ueluti,

Verborum heterosis.

Infinitiuus pro imperatiuo.

Tydides alacris Troias pugnare feroces.

Indicatiuus pro optatiuo.

pro impugna. Aut indicatiuus pro optatiuo: ut,

Nil de plebe loquar multa, nec eam recitabo.

pro Dixerim & nominauerim multitudinem

tudinem. Et ecōtra optatiuus pro indicatiuo: ueluti,

Mauors ô utinam pereat, pro periјt.

Temporū deinde uariatio fit, quādo præsens pro futuro ponit̄: ut in hoc,

Hanc ego dimittam nec: quin prius ipsa senescit.

pro Senescet. Aut pro præterito: ut,

Istic sunt equidem bona balnea, fonsq; perennis
Profluit:

Pro eo quod est, profluebat. Aut futurum pro præsenti: ut,

Occubituro alij sole, ast alij redeunte,

Aut præteriti uice: ut,

Permetuo dea non si dixerit omnia uera.

pro Dixit. Dispositiones quoq; sæpicule apud eum mutantur, & passiua aut media pro actiuis ponunt̄: ueluti,

Vagina extrahitur gladius peracutus, et amplus.

pro Extrahebant. &, Visus Aiax, pro uidens. Et econtra, actiuum pro passiuo: ut, Donabo tripedem, cui aureū manubriū: pro donandus est tripus. Est etiā cernere, quo pacto numeros immutans, pluralem pro singulari ponit: id quod sæpe usu uenit, dum quis de se loquitur: ueluti,

Optatiuus pro indicatiuo

Temporum mutatio.

Dispositionum seu generū mutatio.

Paß. pro Actiuo & econtra.

Numeri alloeosis

Quādo pluralis pro singul. ponatur.

Nata Iouis dea, quando uoles hæc dicito nobis.

Personæ uariatio.

Pro mihi. Fit autem apud illũ & personarum mutatio, idq; uno quidem modo sic,

Cœlicolæ quotquot sunt, cuncti iussa capessunt
O diuine pater tua: præstò itidem sumus omnes.

Hanc figuram Gram. cõceptionem personarũ uocant.

Multis nanq; dijs existentibus (inter quos & ea persona erat, quæ uerba faciebat) utrunque belle extulit, & obediunt, & parati sumus. Alio autẽ modo, missa facta ea persona, de qua loquebatur, ab altera ad alteram trãsit: id quod Auersio propriè uocatur. Atque per imitationem auditorẽ & mouet, & ducit; quemadmodũ hoc est,

Apostrophe.

Hector uoce iubet clara Teucros agitare
Naues, exuuiasq; sinant ut quisq; cruentas:
Hunc alibi procul à ratibus cuperem esse inimicũ.

A narratione nanq; trãsitum fecit ad imitationem. In ipsa etiam narratione apostropha sæpe utitur:

Circa te Danaos retines Pelida feroces.

Apostropha p imitationem.

Verum & per imitationem, mutatione personarum utitur: sicuti in isto,

Reuera pueris par est hæc concio uestra
Insipidis, quibus haud curæ sunt bellica facta.

At

Ast Atrida prius ueluti consultus eras, nunc
Præcipe Graiugenis quo pacto pugna ineunda.

Est & alia auersionis species huiusmodi,

Nescieris Tydida utris se iungat amice:

Pro aliquis nesciat. Et rursus,

Suauis odor, diuinus item, fragrabat ab illo
Cratere: atq; tibi fuerit nec abesse decorum.

Secũda persona pro quauis tertia.

Participijs uerborũ loco utitur: ut in hoc, In horto fructu grauatus, ꝓ grauatur. &, Ibi illi incurrerunt priusquã scientes: pro eo quod est, priusquã scirent. Articulos quoq; sæpe commutat, pro postpositiuis præposiuos usurpans: ueluti,

Participia pro uerbis.

Articulorum heterosis.

Aedidit hos Zephyro uẽto olim harpya Podarge.
Et, Thoracẽ: perijt siquidẽ hic charissimus illi.

Exẽplũ in græco considera.

Ad hunc modum & præpositiones cõmutare solet: ut, Hesterna luce iuit trans cõuiuium, pro Ad conuiuium. &, Morbũ per exercitũ excitauit nocentem. Similiter & præpositioni casum nominis non proprium infert: ut in isto,

Præpositionum allœosis.

μετὰ ἀντὶ τοῦ ἐπί.

Διὰ cum accusatiuo per.

Ne si forte uelint noctu decernere ferro.

Pro, per noctem. Nonnũquam uero præpositio-

πεϱὶ, id est, de subaudita.

præpositiões aufert: ut, Cuius is iacet dolēs, pro, de qua. &, Expectās nunquid ipsum loquatur, pro alloquat. Ad hæc alias præpositiones simili mō do partim cōmutat, partim tollit. Etiā aduerbia quædam mutat, ijs quæ ad locum significant, in loco, & de loco, indifferēter utens. Nepotes autē aliò cōsidebant, pro alibi. &, Aiax autem de propinquo uenit: pro eo quod est, propè. Est denique apud illum & coniunctionum immutatio: ueluti, Nunquam uero cū illa concubuerat, iram uero mulieris declinabat: pro eo q̄d est, iram nanque mulieris uitabat.

Aduerbiorū heterosis.

Cōiunctionum enallage.

Atque hæc quidem dictionis schemata sunt, quibus nō solum poëtæ, uerum etiam orationis solutæ scriptores usi sunt. Ceterum multę species schematum sententiæ apud illum sunt, quarū est & Pręexclamatio: quę fit, quando aliquis inter narrandum hoc prædicit, quod in alijs dicendi locum habet: sicuti in hoc, Profecto sagittā primus gustauit. & Acclamatio: cuiusmodi est, Stultus etiam post factū sapit.

Epilogus figurarum locutionis.

Figuræ sententiarum.

Præexclamatio, seu anticipatio.

Acclamatio.

Sic Fab. Max.

pit. [a]Est & personę fictio multa apud eum, & uaria. Multas enim & diuersas personas colloquēteis introducit, quibus & omnimodos mores attribuit. Nonnunq; uero personas etiam non existenteis fingit: ut,

ad L. Aemyliū: Euctus, inquit, stultorum magister est.

[a] Conformatio.

Haud dubiū Peleus lachrymas effuderit amplas.

Est autē & demonstratio effectus rerum aut factarum, aut quæ fiunt, aut futurarum: ut id quod dicitur euidentius reddat. ueluti in hoc,

Diatyposis, quæ & hypotyposis.

Primus usus.

Mactāt hiccce uiros, perduntq; suburbia flammis:
Hic pueros ducunt, hic captiuas mulieres.

Aut ad mouendum misericordiam;

Secundus.

O miserum, perdet quem Iuppiter ille senecta
Primū nūc incunte, mala hæc ut grandia spectet:
Ceu iuuenes pereant, raptetur chara puella,
Coniux ut uitietur, & ut sua pignora chara
Prosternantur humi, per palmas inde cruentas.

Est & Ironia apud eū, sermo per contrarium (cum quadam morali simulatione) contrarium declarans: ut est hoc Achillis,

Ironia seu dissimulatio.

O Laërtiades tecum consultet, & omni
Concilio regum, quo pellat nauibus ignem:
Et Danaos inter legat is regem potiorem.

Verba sūt Achillis. Il. α.

Declarat enim, quod haud facile aliū

regaliorem

regaliorē inuenerit. Atq; hic quidem modus est, quando aliquis se extenuat, ut contrariā sui existimationē præbeat. Alius aūt quādo quis se quempiam maximè laudare simulat, quum reuera uituperet. Atq; hoc est, quod apud Homerū à Telemacho dicitur:

Primus Ironiæ modus.

Secundus.

ὀδυσ. β.

Antinoë ut natus patre, sic ego diligor abs te.

Inimico nanq; dicit, Tanquā pater filium, sic me curas. Et rursus, quando quis irridēdi gratia proximum extollit: ut proci,

Tertius.

Telemachus cædem hauddubiè nobis meditatur,
Auxilium ex Sparta cogens, Pylijsq; disertis.
Multum nanq; sibi tribuit, sumitq; adolescens.

Est & Sarcasmus quędam Ironię species, quando quis per contrarium alicui conuitians, risum cōcitat: quemadmodum Achilles,

Sarcasmus.

Il. 1.

Salua manent alijs sua dona, sed unus Achilles
Munere priuatur: licet illi grata sit uxor
Atridæ: cum qua cumbens se oblectet amanter.

His allegoria haud dissimilis est, quæ aliud per aliud exhibet: ut est istud,

Inuersio, quæ (Fabio testāte) est, quādo aliud uerbis, aliud sensu ostenditur.

Atræ noctis eris custos, uigil atq; Melanthi,
In tenero strato cubitans ceu maximus heros.

Vinctum nanq; & suspensum in cubili

bili delicato soporandum dicit. Vsus est sępenumero et hyperbola, quę ueritatem superans, multum uehementiæ ostendit: ut, *Superlatio.*

Hi candore niuem superant, cursuq; Aquilonem.

Huiusmodi tropis, & figuris Homerus ita usus est, & ad posteros trāsmisit, ut ob hæc ingentē gloriā ab omnibus meritò reportet. Quādoquidem uero dicendi formæ sunt, quę genera uocantur (quorum aliud quidē uber, aliud gracile, aliud mediocre appellatur) uideamus num omnia ea apud Homerum sint, in quorū singulis singuli poëtæ, & oratores post illum laborauerūt. Quorū & exempla sunt, Thucydidis quidem copia, Lysię gracilitas, & Demosthenis mediocritas. *Generalis troporum & schematū epilogus. Tria dicendi genera, de quibus lege Gel. lib. 7. cap. 14. & Fabium lib. 12. Eorundem exempla.*

Copiosum itaq; genus illud est, quod & dictionum & sententiarum apparatu, magnā emphasim habet: ut est, *Grande.*

Sic fatus, nebulas cogit, pulsatq; tridente *Odyß. 5.*
Tum mare: cōmouit Zephyris exinde procellas,
Tellus ut simul & pontus tegerentur opacis
Nubibus, ingrueretq; polo nox undiq; cæca.

Gracile autem, tum rerū materia pu- *Tenue.*

ſillum, tum & dictione extenuatum eſt: cuiuſmodi eſt hoc,

Sic fatus, puerum amplexurus ſtrenuus Hector:
Aſt is retro abijt, gremiumq; petiuit amatæ
Nutricis clamans, faciem fugiebat & huius:
Dum ſtupet ob galeam æratã, criſtamq; minacẽ.

Mediocre. Medium autem inter utrunq; iſtorũ, gracile uidelicet & copioſum, uerſatur: ut,

Odyſſ. 22.

Veſtibus exuitur laceris conſultus Vlyſſes,
Inſilit inq; ſolum, retinens iacula, atq; pharetram
Confertam iaculis: iacula atq; uelocia fudit
Ante pedes, faturq; procis dein talia cunctis.

Floridum dicendi genus. Quod autem & floridum dicendi genus (quod uenuſtatem & gratiam ad delectandũ, ac uoluptate afficiendũ, inſtar floris habet) frequẽs apud poẽtam ſit: nõ eſt, quod quis dicat. ſiquidem poẽſis tali apparatu plena eſt.

Epilogus generum dicendi. Atq; dicẽdi quidẽ formæ talem apud Homerum uariationem habẽt, qualem obiter oſtendimus, paucis adductis exẽplis, ex quibus & reliqua deprehẽdere licet. *Duplex oratio.* Quoniã uero omnis oratio, in qua homines ſe exercẽt, aut hiſtorica, aut ciuilis eſt: age uideamus *Hanc partẽ in-* num

num & harum initia apud istum sint. [a] Historica equidẽ oratio est, quæ rerum gestarum narrationem cõtinet. [b] Cuiuslibet autem narrationis occasiones sunt, persona, causa, locus, tempus, instrumẽtum, actio, affectio, modus: neque ulla historica narratio est, quin aliquid istorum complectatur. Ad hunc modũ & apud poëtam res se habet, dum multas res tanquã gestas, aut tanquã gerãtur, narrat. Nõnunquũ uero & in singulis horũ narrationes inuenire licet: Personę quidem, ut est huiusmodi,

fra sub finẽ absoluit, ubi de rhetoricæ partibus agit.

a Historica.

b Narrationis occasio.

Persona.

Dardanidas interfuit ille Dares, locuples uir
Integer, atq; dei Vulcani mysta, duo cui
Filioli, Phegeus, Idæus, uterq; peritus
Omnigenæ pugnæ.

Et dum formas quorũdam describit: ut in Thersita,

Strabus erat, claudusq; pedẽ, & gibbosus, acuto Il. β.
Vertice, cæsaries defloruit undiq; turpis.

Et alia multa, in quibus aut speciem, aut mores, aut actionem, aut fortunã sæpicule prosequitur; sicut in his,

Dardanon altitonãs genuit Saturnia proles, &c.

Loci aũt apud eum narratio est, qualem de insula, Cyclopum regioni uicina, commemorat: in quibus loci speciem, diuersitatem, insulę qualitatem, quæ in illa, & quæ iuxta illã sunt: denique dum ea quæ Calypsonis antro adiacent, describit:

Odyß. ε. *Speluncam circũdederat nemus undiq; pulchrũ,*
Quippe alnus fragilis, clethra, & fragrans cyparissus.

Temporis. & cętera huiusmodi innumera. Temporis autem: ueluti,

Iamq; nouẽ magni Iouis anni prætericrũt. Et,

Ιλ. β. *Hactenus appellunt quum naues Aulida græcæ,*
Perniciem Priamo magnam, populoq; ferentes.

Causæ narratio. Causæ uero, in quibus ostendit, quapropter aliquid fiat, aut factum sit, ut illa, quę in Iliados exordio dicta sunt,

Ιλ. α. *Quis deus immisit litem, ut contendat uterq;?*
Hauddubie Phœbus, regi indignatus Atridæ:
Is, siquidẽ mittendo luem ualidam inter Achiuos,
Innumeros leto dedit, ob Chrysam uiolatum.

Et reliqua. in his enim inimicitiæ inter Achillẽ & Agamẽnonẽ, causam fuisse dicit pestem, pestis uero Apollinis iram, iræ autem cõtumeliam, qua dei sacerdos affectus erat. Instrumenti, qua-

Instrumenti.

ti, qualem narrationē in clypeo (quē Vulcanus Achilli fabrefecit) prosequitur. Est & alia concisa de Hectoris hasta, Il.18. Breuis instrumenti narratio.

Hector ubi ingressus, bis quinq; tenens cubitorū
Vnius atq; hastam bene longam: ferrea cuspis
Cui splendebat item, circūdat & annulus aurō.

Facti autē narrationes cum aliæ, tum eiusmodi sunt, Rei gestæ.

Conueniunt, parmas simul obijciūt, simul hastas,
Armatorū hominū quoq; robora maxima: scutis
Cominus umbosis propellunt mutua utrinq;
Vulnera: magnus ut hinc factus sit utrinque tumultus.

Affectionis autē narratio est, in qua id quod cōtingit, ex causa, aut ex efficacia quadam declaratur: cuiusmodi de ijs narrat, qui ira, aut timore, aut tristitia afficiuntur: aut uulnerantur, occidūtur, aut aliud quippiam tale perpetiuntur: Ex causa, Affectionis. Ex causa.

Indoluit, feruentq; homini præcordia nigra,
Atq; oculos igni simileis gestare corusco.

Ex efficacia, Ex efficacia.

Vt Charitum multo conspersi sanguine crines.
Aurea uitta comas, necnon argentea uincit.

Modus autē poëticus est, dum actio, Modi, seu gestus narratio

passio, aut habitus aliquis ita describitur, ut secundum eum aliud quidem sic fiat, aliud uerò sic quodãmodo se habeat. Quibus narrationibus omnibus Homerus utitur: cuius exemplũ tale fuerit,

Vulnerat hunc iaculo feriens diuinus Vlysses,
In guttur, procumbat ut is, pateramq; relinquat,
Quam manibus tenuit: cruor hinc fluitaret opimus. & cætera.

Copiosa narratio.

a Quã Fabius lib. 9. eloquẽtiæ corpus existimat.

b Breuis. Quin. lib. 10. ca. 1. lege Il. 18.

c Eiusdem usus.

d Redit ad copiosam narrationem, ac docet, quibus modis ea fieri poßit.

Est autẽ narratio apud eum, quæ plerũq; copiosam [a] phrasim habet, ac diligentiã subiectæ materiæ cõuenientem. [b] Nonnunquam uero succincta: ut eiusmodi,

Patroclus iacet, hinc pugna est pro corpore nudo:
Illius arma etenim sibi sumpsit strenuus Hector.

[c] Ista autẽ forma sępe utilis est. orationis nanq; celeritas & dicentem, & audientẽ attentiorem, & facilè uoti compotem reddit. [d] Narrat autem nõnunquam tenuiter, nonnunq; uerò cum imagine, uel similitudine, uel simili. Imagine: ut quando inquit,

Imago.

Penelope ex thalamo ueniens, forma referebat
Aureolam Venerem, uenatricemq; Dianam.

Simili-

Similitudine: ut, Similitudo.

Non secus atq; aries aciem transire solebat.

Simili uero, quum uicinarum rerum comparationem ita facit, ut ad institutum adaptari queat. Sūtq; apud eum uariæ similium species. subinde nanque, ac multis modis aliorū animantium efficaciam, & naturam, hominū gestis & habitibus confert. Est etiam quando à minimis similitudinem trahit, non ad corporis magnitudinem, sed ad uniuscuiusque naturam respiciens: quo fit, ut improbitatem muscæ comparet, Parabola. Eiusdem uarietas.

Inspirauit huic Pallas muscæ improbitatem. IA. ρ.

Et assiduitatē eidē animāti cōparauit.

Haud secus ut muscarū examina multa frequētāt.

Globum autem, & ingentem multitudinem ordine incedentem, apibus:

Sicut apum fuerint examina crebra uolantum.

Ad hunc modum & iram, & persecutionem ostendit, dicens: Vespis in uia agentibus simileis. Atq; his subiungit, Quas pueri irritare solēt: ut eò magis genuinū earū furorem per puerorum irritationem cōcitatum, exaggeraret. Irati crabronibus irritatis similes.

 raret,

raret. De cōtinua autem uoce ait, Frugi sunt locustis similes. Loquacissimum nanq; animal, & in hac parte inquietū. Eos autē, qui uoces inconcinnè permixtas efferūt: sic comparauit,

Comparatio de cōfusæ loquentibus.

Haud secus atq; gruū clangor ferit æthera summū.

Ordinatam uero multitudinē auibus cōsidentibus assimulat, Cum clangore considentiū. Visus autem, & facti acrimoniā nonnunquā accipitri cōfert,

Visus acutus.

Il. 15. *Persimilisq; palumbineco, qui perceler instat.*

Nonnunquā uerò aquilæ, quā etiam in alto uolitantē lepus pedibus celer nō fefellerit. Visus nanq; acumen in eo ostendit, quod eam de longè ait uidere: celeritatem uero quod pernicissimum animal capit. Hostis aūt aspectu obstupefactum ei comparat, qui draconem uidet, ita ut non puduerit eum uel à reptilibus exēpla sumere.

Stupor ob hostis præsentiā.

Haud secus atq; dracone aliquis uiso rediit mox.

Timiditas. Ab aliis uero animantib. timiditatis quidē à lepore, & à ceruo itidē sumit,

Cur adeò stupefacti estis uelut hinnulus omnes.

Fortitudo. A canibus autem, quādo fortitudinē commendat,

Acres

Acres ut catuli mordent aprum, lacerantq;.

Quãdo autem amorem erga liberos, *Studium tuẽdæ prolis.*

Vt canis egregiè catulos propugnat, amatq;.

Quando uerò animi promptitudinẽ ad custodiendum, *Fida custodia.*

Vt canis est promptus, fidusq; ad ouilia custos.

Raptũ autem, qui & fabulose, & audacter fit, lupis comparare solet, *Violentus raptus.*

Agnos ut lupus inuadit, raptatq; tenellos.

Fortitudinẽ uero & constantiam per *Constantia.* sues syluestreis, pardos & leones, ostendit: dum unicuique quod naturę suę proprium est, tribuit. A suibus impetũ *Aprorum impetus.* (quem hoc genus animantis ad pugnã intolerabilẽ habet) mutuatur,

Idomeneus apro similis propugnat ubiq;.

A pardis pertinacem audaciam, *Pertinax audacia.*

Nec penetrante cutem pilo, pugnare remittit.

A leonibus uerò primum cunctationem, deinde & generositatem, *Leonis cunctatio & generositas.*

Cauda utrunq; latus, lumbos, ac ilia uerrit.

Rursus autem hominis generosi cursum equo saturo comparat, *Generosi hominis cursus.*

Sicut equus saturus iuxta præsepe moratus.

Et ecõtra cunctabundũ iter ac in tolerando insuperabile, sic ostendit: *Insuperabilis cunctatio.*

Iliad. λ. *Arua petens asinus ueluti, pueris spoliatis.*

Regius habitus. Regium uero habitum, ac præstantiā hisce expressit:

Eminet armento ueluti bos, præstat & omni.

Cōparationes à marinis animantibus sumptæ. *Plin. lib. 9. cap. 29.* Neq; uerò marinorum animantiū similitudines omisit, polypi quidē perseuerantiam, & quàm difficulter à saxis auellatur,

Extrahitur ueluti polypus si quando cauernis.

Delphini autem principatū, ac præstantiam inter alios pisces,

Vt pisces alios superat delphinus in undis.

Hominum facta inter se cōparata. Sępenumero autem ea, quę ab hominibus fiunt, alijs similiter factis confert: ut in hoc,

Messores ueluti certant frumenta metendo.

Resistendi uim, & fortitudinem uirorum demonstrans. Liberaliter autē ploranti, similitudine perspicua conuitiatur,

Il. 18. *Cur pueri in morem lachrymas Patrocle sodalis.*

Similitudines ab elementis. Ausus est autem & elementis humana facta conferre: sicut in isto,

Argolici uocem tollebant, fluctus ut altis (ster
Littoribus resonat, scopuloq; immurmurat, au-
Quē petit, omnigenis Zephyris agitata procella.

Nec

Nec quoq; deseruit, uarijs dum partibus afflant.

In quibus cõstat eum & hyperbola, & amplificatiõe usum esse. Nõ enim contentus fuit, procellæ sono clamorem comparasse, sed fluctuum, qui in altũ litus illiduntur: ubi dum fluctus exaltatur, maiorem sonitũ ædit. Neq; simplicẽ procellã, sed ab austro (qui humida maximè mouet) cõcitatam, in scopulum eminentẽ, ac in pelagus prominẽtem, illisam esse dicit: & qui ab ea allueretur, quiq; assiduæ tempestati obnoxius esset, undecunq; tandem uentorum flatus irrueret. Istiusmodi apud eum sunt, quæ ad diligentiam in narrando pertinent. quorum multa ex paucis exemplis deprehendere licet. Perpẽdamus autem & reliquas orationis species, num apud Homerũ ita sint, ut ipse eas primum et excogitasse, & illustrasse uideatur. Qua de re paucis itidẽ exemplis adductis, & reliqua conijci possunt. Cęterum contemplatiua oratio est, quæ speculationes (quę sic uocantur) complectitur: habentq; ueritatis cognitio

Explicat Hom. locum.

Trãsitio in qua primum dispositionẽ in narrando concludit: & deinde ad triplicis philosophiæ exempla demõstranda transit.

Speculatiua oratio.

nem, quæ arte constat. Vnde & rerũ diuinarum, & humanarum naturam cognoscere licet: uirtutes et uitia, quę in moribus sunt, secernere: denique num conari oporteat, aliqua rationali arte ueritatem discere. Hæc autem ij, qui in philosophia uersati sunt, tractauerunt; cuius etiamnũ partes sunt, naturalis, moralis, & dissertiua. Quod si horum omnium principia, & semina Homerum suppeditasse cognouerimus, quo pacto nõ præ omnibus admiratione dignus fuerit? Porrò quod per ænigmata, & fabulosas quasdam orationes animi sensa ostendit, nõ mirum uideri debet. Poëtica nanq; in causa est, & priscorum cõsuetudo: ut disciplinarum studiosi, ingenij ac animi quadam delectatione deliniti, ueritatẽ facilius & inquirant, & inueniãt. Et ut idiotæ illa non cõtemnant, quæ intelligere nequeũt. Etenim est quando id quod figuratè significat, iucundum fit: quod uero apertè dicitur, uilescit. Exordiamur itaq; à totius uniuersi principio, ac generatione, quam

Tres philosophiæ partes.

Cur Homerus & prisci philosophi, philosophiæ mysteria ænigmatib. & fabulis tradiderint. De quo et suprà uide.

Exempla philosophiæ naturalis.

Thales Milesius ad aquæ substãtiam refert: & uideamus num Homerus primitus hoc inuenerit, dicens,

Oceanus qui cuncta creat, gignitq; creata.

Thaletis de omniũ rerũ principio [illegible]

Post istũ uero Xenophanes, aquam & terrã inter prima initia cõstituens, eam occasionem ab Homericis istis sumpsisse uidetur:

Xenoph[illegible] opinio.

Sed uos in terram, lympham, uertaminor omnes.

Significat enim resolutionem in genitalia elementa uniuersitatis. Opinio autem maximè uerax, quatuor elementa cõstituit, Ignem, aërem, aquam, & terram. Hæc autem & Homerum scivisse apparet, dum in multis uniuscuiusq; istorum mentionem facit. Qua autem serie ea cõstituta essent, pernouit. Nam quod terra omnium infima sit, uideamus. Orbiculari nanque existente mũdo, cœlũ, quod omnia continet, superiorem locũ retinere, haud immeritò dici queat. Terra autem in medio existens undiquaque, inferior continente est. Hoc sanè poëta in his maximè declarat, in quibus Iuppiter ait, se de olympo catena suspensa, terram,

Quatuor rerũ omnium initia secundum plerosq; philosophos.

Elementorum ordo.

Cur terra elementorũ omniũ infimum sit.

ram, & mare reuulsurũ, ut omnia in sublimè tollerentur,

Il. 8.

Ast ego si cupiam, uos nunc detraxero cunctos,
Firma cum tellure simul, pontoq; prætalto,
Vertice de cœli suspensa ritè catena:
Atq; hæc rursus ego in sublime reduxero cuncta.

Aether aëre sublimior: de quo lege Cic. lib. 2. de Nat. deorũ.

Præterea aëre super terram existente, æthera excelsiorem esse, ad hunc modum asserit:

Il. 14.

Conscendit pinum, quæ stat in uertice montis
Idæ, quæ penetrat nebulas, ac æthera summum.

Cœlum æthere sublimius.

Aethere autem cœlum superius,

Sic illi pugnant, ut ferreus inde tumultus
In cœlum resonet, sterilemq; per æthera tranet.

Et præterea in isto,

Aëria ascendit cœlum, atq; petiuit olympum.

ὅλυμπος, quasi ὅλος λαμπρὸς, id est, totus lucidus.

Quum enim suprema aëris pars purior sit, & maximè à terra, eiusq; exhalationibus distet: ideo olympũ, quasi totum splendidũ appellari dicunt. In quibus uero poëta ait, Iunonem cum Ioue cõsuetudinem habere (quum tamen illius soror esset) per allegoriam hæc significare uidetur, quod per Iunonẽ aër intelligatur, quippe humida substantia. propterea etiam dicit,

Iuno aër.

Aëra fundebat Iuno Lucina profundum.

Per

Per Iouem autē æther, hoc est ignea substantia, & calida essentia innuat: *Quid æther.*

Atq; Ioui cœlum in nebulis, ac æthere cessit.

Fratres igitur propter coniunctionē, & quandam similitudinem uisi sunt, eo quod uterq; leuis ac mobilis sit: Familiares uero, & cōiuges, quod ex istis coëuntibus omnia generentur. Quapropter & in Ida congrediūtur, ac terra eis herbas ac flores producit. *Cur Iuno, & soror & coniunx Iouis.* *Vide Cic. lib. 2. de Nat. deorū, et Mac. lib. 1. in Som. Scip. c. 17.*

Eiusdem uero rationis sunt & illa, in quibus Iuppiter ait, Iunonem pendere, & duas incudes (hoc est, mare & terram) illius pedibus appendi. In ijs aūt elementorū rationem maximè habet, in quibus Neptunus Ioui dicit, *Iuno inter æthera, aquā, & terram pendens.* *Il. 15.*

Tres siquidem fratres sumus, ex Rhea genitrice, *Inibi.*
Iuppiter, atq; ego: tertius, infera regna tenet qui.
Omnia tripliciter diuisa, tenetq; sua omnis.

Præsertim quum in uniuersi distributione, Iupiter ignis, Neptunus aquę, Pluto aëris essentiam sortitus sit. Hūc enim aëriā caligine ideò uocat, quod lumen proprium non habet, sed à sole, Luna, & reliquis astris lucē mutuatur. Terra autem quarta & cōmunis *Iupiter, Neptunus, et Pluto qd allegoricè.* *Cur ijdē fratres*

pars

terram ac olympum inter se nõ sint partiti. pars, eam ob causam relicta est, quod triũ elementorũ essentia assidue mouetur: terra autem sola immobilis est, cui & Olympũ addidit, eo ꝙ mõs ueluti pars terræ sit. Sin uero cœli splendidissimam & purissimã partem intelligas, tum hęc quinta essentia inter elementa fuerit, id quod quidam illustres philosophi senserunt. *Quinta essentia.* *Vt Aristoteles.* Quocirca haud abs re cõmunia esse censuit, terram uidelicet infimam, propter grauitatem: & olympum supremum, propter leuitatem. Quoniam in ista, naturæ in medio existentes, partim deorsum, partim sursum feruntur. Porrò quum elementorũ natura ex contrarijs sit constituta, uidelice siccitate & humiditate, calore ac frigore: Et quũ per competentiam & temperaturam (quam inuicem habent) cuncta fabricentur: Et ea permanẽte mutationes particulares fiant, & econtra illa desinente omnia soluantur: *Discors elementorũ concordia, de qua uide Macrob. lib. 1. in Somnii. Scip. c. 6.* Empedocles cuncta ad hũc modũ constare inquit, *Empedoclis placitum.*

Est ubi conueniunt in amore bene, est ubi rursus
Singula discordant, litem, pugnamq; capessunt.

Vbi

Vbi elementorũ concordiam & unitatem amicitiam: inimicitiam autem, cõtentionem appellat. Ante hunc autem Homerus concordiam & discordiam in ijs obscurè ostẽdit, in quibus Iuno apud eum ait,

Probat discordem elementorum cõcordiam ab Hom. primitus inuentam.

Vado uidere feracis cuncta latibula terræ,
Oceanumq; patrem diuorum, Tethydaq; ipsam
Magnas inter eos ualeam an componere lites.

Talia etiam Veneris & Martis fabula sub uerborum inuolucris ostendit. Quorũ illa quidẽ idem pollet, quod apud Empedoclem amicitia: hic autẽ idem, quod apud illũ inimicitia. Vnde fit, ut aliquãdo inter sese coeãt, aliquando autem dissoluantur. Indicat autẽ eos sol, Vulcanus uincit, soluit Neptunus. Vnde constat, quod calida & sicca essentia, & his contrariæ, frigida & humida, nonnunq; omnia coagmentant, nonnunquã uerò dissoluũt. Quibus & hoc consentaneũ, quod apud alios poëtas dictum est, φ ex Martis & Veneris consuetudine, cõcentus ex cõtrarijs, grauibus uidelicet & acutis constet, dum inter sese æquabi-

Fabulæ de Veneris & Martis adulterio, mythologia. Odyß. 8.

Alia eiusdem fabulæ explicatio.

Macrob. li. 1. in Som. Scip. c. 4.

Mythologia fabulæ, in qua dij partim Troianis, partim græcis opem ferre finguntur.

ęquabiliter temperantur. Quo pacto autem ea, quæ contrariam naturã sortita sunt, sibi inuicẽ opponantur, poëta per ænigma significasse uidet: præsertim in acie deorum, [a] in qua fingit, alios quidem Græcis, alios autẽ Troianis auxilium ferre: allegoricè uniuscuiusq; uim ostendens. Atq; Phœbũ quidem Neptuno in acie opponit, calidum & siccum, humido & frigido. Mineruam autem Marti, rationale irrationli: hoc est, bonum malo. Iunonem uero Dianæ, hoc est aërem lunæ; eo quod ille stabilis, hæc uero instabilis sit. Mercuriũ autem Latonæ, eo quod sermo assiduè quęrit, ac meminit: obliuio autem his cõtraria est. Vulcanũ deniq; fluuio, eâdẽ ratione, qua solem mari. Pugnæ aũt spectatorem deũ primariũ, & super hoc lętantem fingit. Ex prædictis autẽ simul & hoc ostẽdere Homer. uidetur, quod & unus, & finitus sit mũdus. Si enim infinitus esset, nequaquam diuideretur in numerum habentem terminũ. Ipso enim nomine terminum significat,

a Il.20.

Phœbus Neptuno contrarius.

Minerua Marti.

Iuno Dianæ. Lege Macrob. lib.7. Satur.

Mercurius Latonæ.

Vulcanus fluuio Scamãdro, seu Xantho.

Iupiter otiosus pugnæ spectator.

Cur unus & finitus sit mundus: de quo lege

cat, quippe cum in aliis multis plurativo pro singulari utatur. Clarius autem eandē rem declarat, dum inquit, fines terræ: & rursus in quibus ait,

Ultima non equidem quamuis adeat loca terræ,
Et maris. Præterea in hoc,
Summo uertice multijugi uersatus Olympi.

Ubi eñ summitas, illic et termin⁹ est. Quid autē de sole sentiat, non est obscurum, quia quum orbicularem circumferētiæ uim obtineat, aliquando super terram apparet, nonnunquam rursus super terram abit: idq; ad hūc modum declarat,

O socij, quis nouit ubi caligo sit orta,
Auroræq; domus, radijq; Hyperionis unde?
Quó ue meent rursus subeuntes infima terræ?

Ad hęc quod semper super nos graditur sol, hyperion, id est, supergrediēs ab ipso Poëta appellatur. Quum aūt sol ex aqua (quæ terram cōplectitur) hoc est, ex Oceano oriatur, & in eum occidat: poëta illius ortū etiam in his perspicuè ostendit,

Oceani stagna alta sinens, exortus erat sol.
Aethera conscendens, superis lux esset ut alma.

Occasum uero,

Aristot. de Cœlo & mundo. Macrob. lib. 2. in Som. Scip. ca. 10. Deniq; eundem Plut. de philosophorum plac. lib. 1. ca. 5.

De solis ratione & motu.

Dum scilicet in nostro hemisphærio est.

Phœbus cur Hyperion.

Solis ortus.

Occasus.

Irruit Oceano lampas Phœbea,facitq;
Ingenteis homini tenebras,noctemq; profundam.

Oftendit autem & eius formam,

Splendidus autem erat ut sol.

Magnitudo, de qua Macrob. li. 1. in Som. Scip. ca. 20.

Et magnitudinem,

Nam bene lucescens Phœbus terræ eminet omni.

Et adhuc magis in hoc,

Sol quando illustris medium penetrarat olympũ.

Vis.

Et uim,

Sol qui cuncta uidet,nec non audire potest qui.

Animalitas.

Deniq; quod sit animal,& sua sponte moueatur,in quibus minatur,

Odyss. 12.

Lux ero funestis,subiens Plutonis in ædeis.

Propterea quoq; Iupiter eum adhortatur,

Inibi.

Phœbe tuum fuerit posthac mortalibus,atq;
Dijs superis lucem cunctis perferre benignam.

Qualis substantia sit sol,de qua lege Aristot. de Cœlo,& Plut. de Philosophorum placitis.

Vnde constat,quod sol non sit ignis, sed alia quæpiam potior substantia: id quod & Aristoteles sensit. Siquidem ignis in altum fertur, inanimatus,facile cessans,& corruptibilis est: Sol uero in orbe ferẽ, animatus, æternus,& incorruptibilis. Quod uero nec aliorum astrorũ imperitus fuerit Homerus,ex ijs quæ finxit palàm est,

Il. 18.

Vergilias,suculas,nec non magnum Oriona.

Ad hæc

Ad hæc ursam describit, quo pacto subinde iuxta polum Aquilonarē nobis semper apparentem uersetur: & propter sublimitatem, horizontē nō attingat: eo quod æquali tempore, & minimus circulus (in quo ursa est) & maximus (in quo Orion) in mūdi circunferentia uertitur. Præterea & Bootem tardè occidentem: quia diuturnū faciens occasum, eiusmodi situm habet, ut rectus deferatur, & unà cum quatuor signis occidat, quæ sunt ex cunctis illis sex, quæ toti nocti attribuūtur. Quod uero non omnia, quę ad siderū cōtemplationem pertinent (ut Aratus, seu alius quispiam) prosecutus est, nemini uideatur mirum, neque enim hoc ipsius institutum fuit. Nec quoq; accidentium causas, quæ circa elementa uersantur, ignorauit: ueluti terręmotuum, ac deliquiorum. Quādo enim tota terra in se ignis, aëris, & aquæ partem (à quibus & cōtinetur) habeat: uero cōsentaneum est, q̄d uapores spiritu pleni in eius profunditate cōsistant. Qui quādo foras

De ursæ motu, de quo Higinij astronomicon, & Arati phænomena lege.

Bootis occasus.

ἀντιπεφορῆ.

Naturalis ratio terræmotuū, de qua lege copiosius eundem autorem de Philosophorum placitis.

ferũtur, aërem (ut aiunt) mouent. Cohercitı autem intumeſcũt, ac ui foras erumpunt. Quod uero ſpiritus intra terram cõcluditur, mare in cauſa eſſe putant, quod nonnunquam meatuũ exitus obſtruit. Quando autem illud recedit, quaſdam terrę parteis ſubuertit. Homerus itaq; iſtud non ignorãs, terræmotuum cauſam Neptuno attribuit, dum eum terræ continentem, & terræmotorem appellat. Quum uero flatibus intra terram concluſis, uenti ſpirare ceſſent, atque hinc caligo & obſcuritas ſolis oriatur: perpẽdamus num & hoc uiderit. Siquidem fingit terram à Neptuno moueri, poſteaq; Achilles in prælium exierat. Prædixerat autẽ in priori pugna, qualis eſſet aëris conditio. De Sarpedone quidẽ,

Aqua terræmotuum cauſa.

Neptunus cur γαιήοχος, καὶ ἐνοσίχθων.

Vnde caligo & obſcuritas ſolis naſcatur.

Iuppiter in pugnam tenebras immiſit opacas.

Et rurſus de Patroclo,

Integer eſſe poteſt nec ſol, nec clara Diana:
Aëre nanq; tenentur.

Et paulo pòſt Aiax rogat,

Iuppiter hũc craſſũ tolle aëra queſumus omnes,
Facq; ſerenũ ſerum, quo oculis ſpectare queamus.

Cæterum

Cæterum post terræmotũ, spiritu iam foris constituto, ualidi oboriũtur uenti; unde Iuno ait,

Ast ego persimilis Zephyroq;, Nothoq; minaci,
Iamq; mouebo mari canos in littore fluctus.

Postera deinceps die Iris uẽtos ad Patrocli pyram aduocat,

Hiq; fragore ruunt, nubes cogendo retrorsum.

Ad hunc modum & solis defectum (qui naturaliter fit, quãdo luna ei coniuncta, perpendiculariter eum subierit, ac obscurauerit) nouisse uidetur. Præfatus nanq; quod Vlysses uenturus esset, mense partim deficiente, partim uero existẽte: hoc est, quãdo mensis simul & in exitu est, simul & incipit, quippe luna cũ sole coëunte: tum uates ad procos ait, eũ uenturũ esse,

Ratio deliquij solaris.

Vuenn es vueder nivu nach vuedel ist.

Quid monstri uideo, caput, & facies aliena
Omnibus est uobis, poples, totumq; repletum
Vestibulũ est spectris, sunt atria plena tumultus:
Cymmeriæ subtus tenebræ, solisq; labores
Cœlitus ostendunt sese caligine cæca.

Theoclymeni uerba sunt, Odyß. 20.

Ventorum præterea naturam accuratè perpendit; horum uidelicet ortum ex humidis esse. Aquæ nanq; cõmutatio in aërem transit. Porrò uẽtus est

Ventorum causa & ortus.

Ventus quid.

de quo lege plura in Philosophorũ placitis.

aër fluens. Hoc uero quũ in aliis multis ostendit, tum in quibus ait: Ventorum uim humectam spirantium. Seriem autem horũ, ut habet, disposuit,

Ordo.

Vnà Eurusq́;, Nothusq́; ruunt, Zephyrusq́; procellas
Excitat: et Boreas fluctus ad sidera tollit.

Odyß. 5

Vide Aul. Gell. lib. 2. ca. 22.

Ventorum commutatio.

Horũ nanq; alius ab ortu, alius à meridie, alius ab occasu, alius à septentrione spirat. Et subsolanus quidem humidus existens, in austrum calidũ existentem mutatur: Auster autem rarescẽs, in Fauonium: Fauonius adhuc magis rarefiens, in Aquilonem facta expurgatione uertitur. Hinc est q; ait,

Impulit in celerem Boream, mouitq́; procellas.

Eorundem uero cõtentionem naturaliter explicuit,

Contentio.

Est quãdo Boreas Austrum superabat, & Eurus
Est quando cesßit Zephyro, primasq́; reliquit.

Arctici, & Antarctici poli situs.

Nouit præterea ille quod Aquilonaris polus super terram arduus est his, qui in hoc nostro climate habitant: australis autem ècontra profundus. Vnde de boreali quidem ait,

Sudificus Boreas uoluens ad littora fluctus.

Dum nanq; æthrificum uocat, innuit

uenti

uenti impetum è supernis irruere : id quod uim à profundiori parte in altiorem pellit. Quod aũt & pluuiarũ generatio ex humida euaporatione fiat, commonstrauit dicens,

Qua sit pluuiarum causa efficiens.

Aethere demisit rorẽ mox sanguinolentũ. Et,

Sanguine conspersas guttas effuderat humi.

Prædixerat enim,

Sanguine cõmaculat Xanthũ Mauors truculẽtus.
Ast animæ Plutonis in atri regna subibant.

Vnde cõstat quod huiusmodi humores (qui ex aquis terrestribus exhalant) quũ aqua permixti fuerint, è supernis deorsum ferũtur. Eiusdem uero rationis & illud est,

Autumni tempus uehemens, quo funditur imber.

Tum enim sol propter terrę siccitatẽ, ex profunditate humores extrahens, turbida & terrosa refert: turbida autẽ præ pondere disrumpũtur. Humidę itaq; exhalationes, imbres procreãt: siccę uẽtos. Quãdo uero in nube uẽtus receptus fuerit, ac deinde in nubẽ ruperit, tonitrua & fulgura creat. Sin uero fulgur excidat, fulmen emittit. Quod noscẽs poëta, huiusmodi dicit,

Epilogus superiorũ, in quo imbriũ, tonitruũ, fulgurum, et fulminũ rationem reddit, ac partim repetit.

Fulgure conspecto, tonitru sonuit uehementer.

Et in aliis,

Iuppiter intonuit, fulmen ratibusq; trisulcum
Intulit.

Hactenus de prima philosophiæ parte, nũc ad secũdam (quæ ad religionem, ac mores ptinet) progreditur.

Deos esse quotquot rectè sentiunt, arbitrãtur: & imprimis Homerus, subinde nanq; deorum meminit, dicens,

Il. 5.

Felices superi uitam duxêre beatam,
Perpetuã, facilemq; simul: quod sanguine, necnon
Carne uacant: ideoq; cibum, nec suauis Iacchi
Munera degustant, mortalia pectora sicut.

ἀνθυποφορά, in qua tacitæ obiectioni occurens, causam reddit, cur poëtæ deos corporeos fingũt, quum tamẽ ipsis quoq; testibus liqueat, eos incorporeos esse.

Porrò quũ poësis opus haberet Diis minimè ociosis, ut sententiam eorum sensibilitate cõtingentium rerum exponeret, eis corpora attribuit. Quum uero nulla alia corporis forma, prȩter quam hominis, sciẽtiȩ ac orationis capax sit: facta uniuscuiusq; deorũ similitudine, cũ ornatu, magnitudine, ac elegantia, simul & hoc subindicauit, quo pacto imagines & statuȩ deorũ, ad hominum effigiem adeò accuratè fabrefactȩ ponerẽtur, ut specimen de se darent minus prudentibus, quod essent Dii. Cæterum quando præstantissimi quiq; philosophorũ primariũ illum

illum Deũ, ducẽ & principẽ omniũ, incorporeũ esse, [a]ac cogitatione duntaxat comprehensibilem arbitrentur: Homerus quoque hæc credere uidetur, apud quẽ Iupiter appellatur, Pater hominumq;, deûmq;. Et,

Iuppiter ô pater optime præses magnificorum.

Imo & ipse Iupiter inquit,

Quantũ ego Dijs superis præsto, mortalibus atq;.

Minerua deniq; ad eum,

Nos bene callemus, quàm sit tua magna potestas.

Si uerò & hoc quærere oportet, an Deum intelligẽtem esse sciuerit; non disertè quidem (utpote in poësi, quæ multa fabulosa admixta habet;) attamen ex ijs colligere licet, in qbus ait,

Iuppiter omniuidens inuentus forte seorsim.

Et in quibus ipse ait,

Ast ego parte sedens cœli, delector abunde.

Ista nanq; solitudo, & quod alijs Dijs se non coniungeret, sed semetipsum oblectaret, commodo ocio frueretur, ac subinde omnia perornaret, intelligentis Dei naturam præsefert. Nouit preterea quod Deus mens est, qui cuncta scit, & cuncta gubernat. Neptunus

Præcipuũ quendam, ac omniũ autorẽ esse Deum.

a Quo modo Deus à nobis cõprehẽdi queat.

Deũ esse circumspectũ, et se solo contentum.

Ιλ. ν.

Deus nihil aliud q̃ mens.

ptunus namque inquit,

Est patria, est æquale genus fratriq;, mihiq;:
Iuppiter at prior est genitus me, pluraq; nouit.

Atq; hoc sæpe, ubi rursus alia cogitauit: hoc innuens, quod semper delibe ret. Cæterũ ad Dei mentem prouidentia & fatũ pertinet: de quibus philosophi multa uerba fecerunt. Horũ autem omniũ Homerus occasionẽ suppeditauit. Ac de prouidentia quidem deorũ quid attinet dicere? Quando per omnem poësim nõ tantum inter sese de hominibus disserunt, uerum etiam in terram descendentes, hominibus cõuersantur. Sed pauca exempli gratia cõtemplemur, in quibus Iupiter ad fratrem inquit,

De prouidentia deorum.

Il.20.

Scis Neptune deos cur nostra palatia cœli
Nunc teneant cunctos: curæ mi sunt pereuntes.

Et in aliis,

Il.22.

Eheu, certe hominem fugientem mœnia circum
Percharum uideo, præcordia; meum cruciatur.

Ad hæc regiam dignitatem, ac morũ facilitatem innuit, dicens,

Deorũ clemẽtia & facilitas.

Verba sunt Iouis ad Palladem Odyss.α.

Non ego diuini posthac oblitus Vlyssis
Esse queam, qui mente homines præcellit, & aris

Diuorum pecudes incendit,pinguia sacra.

In quibus cernere licet, quod uirum illũ primò à mentis perspicuitate, deinde à pietate erga deos, collaudat. Cęterum quo pacto illis ipsis hominibus Deos conuersanteis ac collaboranteis fingat,in multis est perdiscere. Vt quũ Mineruam aliquando Achilli; semper autem Vlyssi: & Mercuriũ Priamo,atq; in uniuersum deos hominibus semper adesse putat, ait nanq;,

Explicat Hom. uerba.

Dij res humanas curant.

Dij superi ex æquo tractãt homines peregrinos,
Indigenasq; simul,uastant & mœnia celsa:
Iustitiam spectant humanam,ac impia facta.

Diuinę autem prouidentiæ peculiare est,uelle ut homines iustè uiuant.Atque istud poëta clarissime inquit,

Prouidẽtiæ diuinæ proprietas.

Iustitiam Dij ab hominibus requirunt.

Improba facta hominũ superi auersantur,honestos
Eximiosq; uiros precio dignantur habere. Et,
Indignatur ijs Saturnius,estq; nociuus,
Qui uiolenter agunt,ius figunt atq; refigunt.

Porrò quemadmodum deos hominibus prospiciẽteis,ita & homines istorum memores in quauis fortuna,inducit. Atque dux quidem prosperè agens,inquit,

Homines deorum & in secundis,et aduersis meminisse.

Spes me magna tenet, uotumq; Ioui, superisq;
Cunctis nunc facio: pepulêre quod inde canes mi.

Periclitans uero,

Verba sunt Aiacis, ut ex superioribus patet.

Iuppiter at rogito, seruabis ab aëre Græcos.

Et rursus is, qui interfecerat,

Quandoquidē hūc hominē domui uirtute deorū.

Moriens uero,

Fare age, ne quid ego diuorum numina lædam.

Lege Cic. in libris de Natura deorum.

Mundus & à dijs, & ab hominibus regitur.

Vnde igitur potius illud Stoicorum placitum, quàm ex prædictis ortū habet. Deniq; unum esse mūdum, atq; in eo & deos & homines (qui à natura iustitiæ participes sunt) rempublicam simul administrare. Etenim quādo inquit,

ἀγγειλάμενα.

Diua Themis superos iussu Iouis ante coëgit,
Cur tu rursus eos cogis, qui fulmine splendes:
Nunquid sollicitus de Teucris, nunquid Achiuis?

Quid aliud innuit, quàm quod mundus ciuilibus legibus administretur? atq; dij præconsultent, præsidente & deorum & hominum satore. Cæterum opinionem de fato, in illis ostendit perspicuè,

De fato.

Fata sua effugiet non quisquam, siue sit ille
Strenuus, ignauus: quum lucem aspexerit almam.

Aliquid in homi

At inter alia, in quibus fati potentiam confirmat,

confirmat, ipse quoque arbitratur (sicut & probatissimi philosophorum qui post eum uiguerunt, Plato, Aristoteles, ac Theophrast.) quod nō omnia fato eueniant: sed aliquid etiam in hominibus esse situm, ut quibus libera sit uoluntas. [a]Huic autē necessitatem quodammodo cōiungi, dum aliquis hoc, quod cupit, agens: in id quod nō uult, incidit. Atque hæc perspicuè in multis declarauit: ut in utriusque poëmatis exordio. In Iliade dicens, Achillis iram Graijs exitij causam fuisse, atque tum Iouis uoluntatem cōpletam esse. In Odyssea uero, Vlyssis socios propter temeritatē in perniciem incidisse. Deliquerant enim, dum sacras Phoëbi boues attigerant, quando ab eis abstinere licuisset. Ad hunc enim modum prædictum erat,

nis conatu esse situ̅: de quo lege his cōsentientia apud Cic. de Fato: sed dißidentia, adeoque ueriora, apud Zuinglium de Prouidentia dei, ca. 3.

a Quatenus necessariò omnia fiant.

Ab initio. lib. 1.

Odyß. 12.

Has modo si uaccas dimiseris ire quietè,
Felicem reditum, quamuis iactatus, habebis:
Lædere sin tentes, facies impunè nec illud.

Verba sunt Tiresiæ uatis ad Vlyßē, Odyß. 11.

Sic nō uiolare, in ipsis situm: perire autem quum uiolassent, ex fato consequens erat. Possumus autem & alio modo

Fortuita per prouidētiam uitari posse.

modo fortuita euitare per prouidentiam: id quod in hoc prætendit,

Hic Laërtiades præter fatum perijsset,
Cæsia ni Pallas dea suggeßisset, utraq;
Palma corriperet saxum cupidè: idq; teneret,
Donec spumosum, tumidumq; quiesceret æquor.

Istic enim ecōtrario periclitans, quantum ad fortunam, interierat: per prouidētiam autem seruatus est.

Transitio.

Quemadmodum uero de diuinis rebus multi & uarij philosophi plurimas occasiones acceperūt, sic & de humanis. Inter quas primò de anima periculū faciamus. Inter placita sanè Pythagoræ & Platonis, celeberrimū est, quod sentiūt[a] animā immortalē esse: cui & alas[b] Plato (ut ferūt) attribuit.[c] Quis ergo istud primitus decreuit? Homerus, qui inter alia & hæc dicit,

An Pythagoras & Plato hocce dogma primum inuenerint, lege Herodotū li. 2.
a Quod anima sit immortalis.
b Lege Platonis Phædonem.
c Subiectio Rhetorica.
d Il. 16. & 22.

d Ast anima ex mēbris uolitat Plutonis in ædeis.

In obscurū inquam, & incōspicuum locum, siue quis hunc aëreum, siue subterraneum existimet. Atq; in Iliade quidem Patrocli animā dormienti Achilli assistere fingit,

Il. 23. *Vmbra Menœtiade uisa est mihi adesse miselli.*

Sermoci-

Sermocinationē quoq; ei affingit, in qua inter alia hoc dicit,

Me prohibent alij manes transmittere flumen.

In Odyssea uero quid aliud in omnibus funeribus demonstrat, ꝙ quod animæ post mortem superstites sint: & quū de sanguine biberint, loquantur? Norat enim quod sanguis, pastus & cibus sit spiritus: Spiritus uero ipsa anima, seu animæ uehiculū. Euidentissime autem & illud ostendit, ꝙ existimet hominem nihil aliud esse, quàm animum: in quibus ait,

Ab exordio lib. 11.

Sanguine spiritus pascitur.

Spiritus animæ uehiculum.

Homo nihil aliud q̃ animus.

De quo lege Ci. in Som. Scip. & Macrob. super idem. lib. 2.

Tiresiæ Thebani animus dein uenerat ad me,
Aurea sceptra tenens.

Odyß. 11.

De industria nanq; fœmininum animæ nomen, in masculinum ἔχων, id est habens, commutauit: ut ostenderet, quod Tiresias esset animus. Atq; in sequentibus rursus,

Post hunc Amphytrioniadæ aduerti simulacrū:
Ipsus enim superis agitat conuiuia læta.

In fine eiusdem.

Etenim in his rursus declarauit, quod simulacrum à corpore liberum existens, non amplius phantasijs obnoxium

xiũ ſit, quæ ex illius materia oboriuntur. Itaq; quum id, quod anima maximè deteſtabat, deceſſerat ille, ipſe Hercules erat. Vnde & illud philoſophis uidet, quod corpus animæ quodammodo ergaſtulũ ſit. Atq; hoc Homerus primitus explicuit. Siquidem corpus uiuentium ſubinde demas (quod à uinciendo nomen habet) nũcupat. Vt in iſtis, Non uinculum, neq; naturam. Et, Vinculum autem ſimile erat mulieri. Et,

Corpus animæ carcer.

δέμας.

demas græcè.

Virtutemq; meam, ſpeciemq; & uincula noſtra.

Cæterũ id, quod animam exuit, non aliter quàm ſoma, id eſt corpus, appellat: ut in his,

Soma meũ Priamo reddas, Hecubæq; parẽti. Et,

Aedibus in Circes nos ſoma reliquimus omnes.

Hectoris uerba ſunt ad Achillẽ lib.22.Il.

Odyß.11.

σῶμα ἄσπον...

Idem nanq; corpus, dum uiueret homo, animæ uinculum erat: eo aũt defuncto, perinde ut monumentum relinquitur. Huic uerò & aliud Pythagoræ dogma cõſectaneum eſt, quod ſcilicet defunctorum animæ in alias corporum ſpecies tranſeant. Id quod nec Homerum latuit, Dum enim Hectorem,

Animarum commutatio: de qua lege Ouid. li.15. Meta. & Zuinglium de Prouiden. dei. cap.3.

ctorē, Antilochū, & Achillem equis *Il.8.*
colloquentem (imò nō tantum collo= *Inibi sub finem*
qui, sed etiā auscultare) denicß Vlys= *19.lib.*
sem prius à cane, quàm ab homini=
bus, adeocß familiaribus agnitum fin
xit: quid aliud quàm rationis cōmer=
tium, & animæ cognationē inter ho=
mines, ac reliqua animātia insinuat?
Ad hęc qui solis uaccas deuorauerāt, *Odyss.12.*
& sibi exitiū accersiuerant, argumen=
to sunt, quod non tantum boues, ue=
rumetiam reliqua animantia (quippè
eandem uiuendi naturam habentia)
à Dijs in precio habeātur. Mutatio au *Mythologia, de*
tem sociorum Vlyssis in sues, & eius= *transformatio-*
modi animantia, sub uerborū inuolu *ne sociorū Vlys*
cro significat, quod imprudētium ho *sis.*
minum animę, in beluinorum corpo
rum species mutētur: * quum in uni=
uersi orbicularē circūferentiam (quā
Circen appellat) inciderint. Vnde & *κίρκη quid.*
meritò filiam solis in Aeæa insula ha=

* *Herodotus lib.2. ex Aegyptiorum sententia refert, defunctorum animas intra tria annorum millia, in omne genus animantiū, terrestrium, marinorum, & uolucrum corpora migrare: ac deinde rursus in alicuius geniti hominis corpus. Ad quod dogma Plutarchus hîc, licet subobscure, uidetur alludere.*

Aeæa insula cur sic dicta.

bitantē ponit: atq; hanc ex eo sic nun cupat, quod homines mortis causa lamentētur, ac lugeant. At ille ipse prudens uir Vlysses, istiusmodi mutationem nō est passus: quod à Mercurio, id est ratiōe, * immutabilitatē sumpsisset. Is autē ipse etiam ad inferos commeat, ut esset qui diceret, animā à corpore separari: ideoq; animarum cum bonarum, tum prauarū spectator fit.

** Moly uideli cet herbam: de qua Odyß. 10.*

Vlyßis descensus ad inferos.

Quid anima secundū Stoicos.

Cæterum Stoici ipsam animam definientes, esse spiritum cognatū, & sensibilem exhalationem, quæ ex humani corporis humiditate emergat, Homeri uestigijs insistunt, cum inquit, Donec halitus in pectore manserit. Et rursus,

Ast animus subter tellurem funus erat ceu.

In quibus uiuacem spiritū ueluti uigentem facit: cum autē qui iam extinguitur, fumo comparat. Atq; illo ipso spiritus nomine [a] pro anima usus est,

Spiritus hominem relinquēs fumo similis.

a Spiritus pro anima.

Fatus ita, inspirat uim pastori populorum.

Et, animam exspirans. Et,

Respirans igitur, mentem in præcordia legit,

Hoc est, spiritū distractū collegit. Et,

Respirabat,

Respirabat, ubi Boreæ flatus ueniebat,
Restituens animum, malè qui discesserat inde.

Nam externus flatus affinis existens, suscitato eius spiritu, qui animo defecerat, uitæ eum restituit. Nec ratione caret, quod etiā pro externo flatu, animæ nomenclatura usus est, dicens, Tranquillè admodum quando refrigerasset. nam dicere uult, quū respirare fecisset. Cæterū Plato, & Aristoteles animam incorpoream esse putauerunt, semper autē circa corpus uersari, atq; hoc tanquam uehiculo indigere: propterea quod etiā dum à corpore liberat̄, sæpenumero ueluti imaginem spiritualem eius formę induit, quæ corpori fuerat. Sic & Homerus nusq; in poësi deprehendetur, animæ corpus tribuere: sed hoc quod anima priuatum est, semper isto nomine appellare: ut & in superioribus quibusdam meminimus. Cum uero anima (ut et philosophis placet)[a] duas potissimū partes habeat, unam rationalē, quæ capiti insidet: alterā irrationalē, cuius pars quidē animosa, in corde: cupiditas

Anima pro spiritu.

Animam incorpoream esse.

Vbi differentiā inter δέμας, καὶ σῶμα posuit.

a Duæ animæ partes, de quib. Cic. lib. 4. Tusc. statim ab initio lege.

Rationis et cupidinis sedes.

cupiditas uero in præcordijs sedē habet. An nō Homerus, huius rei discrimen uidebat, quādo in Achille rationem cum iracundia pugnantem finxit: ac in eodem momento deliberantem, num se de eo, qui ipsum tristitia affecerat, ulcisceretur, an irā sedaret:

Il. 1. *Hactenus hæc animo uoluens, ac mente uolutans.*

Hoc est prudentiam, & ei oppositam furibundam iram, quam à prudentia superari finxit. hoc nanq; ei Mineruę apparitio uult. Præterea etiam in alijs iracundiā per rationem admoneri finxit, atq; hanc ceu principem subditæ imperare:

Sustine, nanq; prius mala multa & sæua tulisti.

Sæpe etiā iracundia rationi obsequiť,

Iracundia rationi obediens.

Fatus erat postquam, sua corda in pectore frenat,
Factus erat rursus tolerans, & corde quietus.

Similiter & ægritudo,

Mœror itidem.

Hæc mala mittamus, quanquam sint tristia ualdè,
Pectoribus læti ponamus mente dolorem.

Ratio ab excandescentia uicta.

Nonnūquam uero rationem ab iracundia superari ostēdit: id quod non laudare, sed uituperare uidet. ut quū Nestor Agamemnoni contumeliam, qua

qua Achillem affecerat, exprobrans inquit,

Consilio nostro nequaquam, nanq; ego multis *Il. 9.*
Dissuasi: sed tu genio indulgere superbo
Malebas, fortemq; uirum contemnere, magno
Qui superis precio fuerat, summoq; in honore.

His autẽ similia Achilles quoq; Aiaci loquitur,

Omnia uera quidem dixisti: proq; decoro: *Inibi.*
At cor bile tumet, quando huius cunq; recordor,
Qui me præ cunctis nihili modo fecit Achiuis.

Sic etiam est, quãdo præ timore ratio obstupefit, ut cum Hector secum deliberat, an cũ Achille cõgressurus sit: *Ratio præ timore obstupefacta.* *Il. 22.*

Est satius multò ut Pelidæ congrediamur,
Et uideamus utrum faciat uictoria clarum.

Deinde secedens, ubi Achilles propius accesserat,

Hectora, cũ sensit, rapuit metus, ut fugeret mox:
Linqueret ut post se portas, & mœnia Troiæ.

Manifestũ uero & illud est, quod animi perturbationes circa cor cõstituat, iram quidem ad hũc modũ: Cor aũt ei intus latrabat. Aegritudinem uero, *Perturbationũ, seu affectuũ sedes.* *Ira.* *Dolor.*

Lugens, atq; dolens, laceras cur pectora chara?

Metum uero, *Metus.*

Exciderat q; mihi cor charo pectore lugens.

Subtus nanq; tremūt mi mēbra celebria quondā.

Audacia. Porrò qua ratione metum, eádem & audaciam iuxta cor esse declarat,

Indesinens cor habet, Martem decernere ferro.

Stoicorū de animæ partibus iudiciū: de quo lege plura in Placitis philosop.

a Rationis & cupiditatis sedes.

Cæterū quando inter prædicta, Stoicis uidetur, [a] rationem tanquam principem in corde, cupiditatem uero circa præcordia esse sitam: Homerus id cum in aliȷs multis, tum in his perspicuum facit, Sed me uēter stimulat malesicus. Et,

Nondū auidum uentrem licet occultare uolenti.

Affectuū causa. Prꝫterea & causas eorum, quæ penes animosam animæ partē sunt, & à natura cōtingunt, peruidit. Quippe irā ex ægritudine nasci, & sanguinis ac spiritus (qui in eo est) feruorem quendam esse demonstrat: ut,

Quæ sit causa efficiens iræ, & quid.

Aegreferens adeò, ut præcordia sanguine plena,
Vtq; micent oculi subitò uelut ignea lampas.

μένος ἀντὶ τοῦ πνεύματος.

Pro spiritu nanq; μένος, id est iram ponere uidetur, eumq; in irascētibus nasci & incendi existimat. Porrò quum is rursus in metuentibus perturbatur ac refrigeratur, horrorem, tremorem, & palliditatē in corporibus generat: siquidem

ſiquidē omnia iſta ex frigore oriūtur. Ac pallor quidem, quando calor in media ſe cōfert, ac rubor ſuperficiem deſerit. Tremor uerò, quia dum ſpiritus intus conſtringitur, corpus treme facit. Horror, quia concreſcente humore, pili dum premuntur, rigeſcūt. Omnia igit̄ iſtæc Homerus clarè innuit, cū inquit, Pallidi præ metu. Et, Pallidus metus corripiebat. Et,

Pallor unde.

Tremor.

Horror.

Mēbra tremūt mihi, fortia, claraq; quondā. Et,
Sic fatus, ſimulatq; ſeni mens fuſa timore
Obſtupuit, ſteteruntq; comæ, & uix membra leuabat.

Ad eum igitur modum et pro timuit, friguit ait, & metum gelidum appellat. Ecōtra autem pro audacia, & bona ſpe, confidentiā, quæ Græcis à calefaciendo, ſeu feruendo dicitur, uſurpat. Atque ad hunc modum uitioſus affectus diſcernit. Cæterū quum Ariſtoteles poſtea indignationem, ac miſericordiam pro elegantibus affectibus habeat (dum nāq; boni uiri urun tur, quando alios præter meritum feliciter agere uident, indignatio uocat̄:

Reſpiciēs nimirum ad timoris cauſam, de qua paulo antè Plutarchus.

Tranſitio.

Vrbanæ perturbationes.

Indignatio.

dum autē illis dolet, si quis præter dignitatem infeliciter agat, misericordia dicitur:) Homerus quoq; istæc ex bonorum uirorū officio esse putat, ubi cū hæc, tū alia fingens Ioui attribuit,

Misericordia.

At Telamone sato pugnam detrectat inire,
Iuppiter, hocq; facit, superetur quo minus iste.

Et in aliјs,

Hunc miseratur item fugientem mœnia circum.

Homeri de animi uirtutibus et uitijs, sententiā.

Porrò quid'nam poëta de animi uirtute & uitio sentiat, in multis ostēdit. Cum enim una illius pars intelligēs, & rationalis sit: altera uero ratiōis expers, & affectui obnoxia, atque ob id homo medium quiddam inter Deū & beluam natus sit: summā quidem uirtutem, diuinam; summum autem uitiū, beluinū (ut & Aristoteles post eum) existimat: atq; hæc per similitudines declarat. Sēper enim bonos uiros dijs simileis, & consiliū Ioue non indignū appellat. Inter malos uero, timidos fugacibus ceruis, ouibus custode carentibus, & leporibus fugientibus cōparat. De ijs autem, qui procliuè & incogitāter ira afficiūtur, ait,

Homo medius inter Deū & bestiam.

Sūma uirtus & uitium.

Boni uiri quibus similes.

Mali quibus.

Timidi.

Incandescentes.

Pardi

Pardi tanta fuit nunquam, non ira leonis,
Apri, nonq; capri fuit unquàm perniciosi,
Dum furit, ostentatq; suum per pectora robur:
Quāta tenet pueros Panthi, quibus hasta decora.

Impotenter autem tristātium luctus, luſciniæ querelis comparat, *Impotenter tristantes.*

Inuolucres adimit quum pullos prouidus auceps.

Quū igit Stoici uirtutē animi in tranquillitate ponūt, ea ſectari uidentur, in quibus Homerus omnem affectū tollit: ut quum de ægritudine ait, *Quis secūdum Stoicos uirtute præditus?*

Quin ſepelitis eum, quem non reuocare poteſtis
Ex Erebo, quamuis lachrymas fundatis acerbas. *Dolor reprimendus.*

Et, *Cur lachrymare Patrocle miser, ceu mœſta puella.* De ira uerò,

Lis utinam ſublata foret nobis, ſuperisq;. *Verba ſunt Achillis. Il. 16.*

De timore autem,

Ne quid fare metu, ſi uis ſuadere potenter. Et, *Timor.*
Ictus percuſſusq;, uidens fatumq; necemq;,
Magnanime occumbat ferro.

Ad hunc modum & ij, qui ad ſingulare certamen prouocabantur, intrepidè morē gerūt, imò plures pro uno aſſurgunt. Atq; uulneratus haud minorem perſeuerandi cōfidentiam habet: ut aliubi inquit, *Ab initio. lib. 7. Iliad.*

Quid iactas quũ planta pedis perstricta sit à te.

Epilogus particularis. Deniq; omnis generosus cõparatur leoni, apro, torrẽti, aut turbini. Porrò quum Peripatetici existiment, homini impossibile, ut pturbationibus uacet: medioc; quodã inuẽto, uirtutem mediocritate finiant, quę illarũ excessum tollat; Homer. etiã optimos quosque, nec prorsus impotenteis, nec intrepidos, nec dolore uacãteis inducit: ut in hoc à malis differãt, quod affectibus non nimium tenentur. Ait enim:

Peripateticorũ μετριοπάθεια, de qua Cic. lib. 4. Tusc. quæst.

Mutatur color ignaui, mens atq; mouetur
Sede sua, nutat, nec perstat in ordine certo:
Intus cor crepitat multum, formidine mortis,
Dentes atq; crepant, striduntq; timore, metuq;.
Porrò boni color est idem, nec protinus ira
Afficitur ualidè.

Perspicuum nanq; est, quod, quũ uehemẽtiorem iram bono uiro adimat, mediocrẽ ei relinquat. Idem & de similibus affectibus, dolore uidelicet ac ira, sentiendũ: cuiusmodi illud est,

μετριολογία.

Membra Phrygum subijt uehemens tremor, Hectoris atq;
Magnanimũ quamuis crepitat cor, pectore læto.

Magnũ inter ti- Alij nanq; uel uidendo contremisce-
bant;

bant: hic uero quamuis in periculo cōſtitutus, tamē fortis erat, & pugnæ dūtaxat initium extimeſcebat. Vnde aliter quidē Dolonē ac Lycaonē ſibi timēteis fingit, aliter uerò Aiacem & Menelaū terga dare, ac ſe pedetētim ſubducere: pinde ut leones, q à ſtabulo repulſi ſunt. Eodē modo & dolentiū diſcrimina cōmonſtrat, et delectātiū ſimiliter. Sic Vlyſſes cōmemorās, quo pacto cyclopib. impoſuerit, ait,

menteis diſcrimen.

Ignauorum timor.

Strenuorum.

Corde, ſinuq; meo riſi, dum talia dicunt. *Odyſſ. 9.*

Proci uero cōſpecto mendico humi proſtrato,

Moderata lætitia.

Applaudunt manibus, riſuq; ferè emoriuntur. *Immoderata.*

Porrò & in inferioribus rebus mediocritatis differētia apparet: ut dū Vlyſſes, tametſi uxorē ſuā diligeret, atq; eā propter ipſum plorantem uideret, nihilominus tamen ſe continet,

Inibi 18.

Modeſtus erga cōiugem amor.

Lumina conſtiterant ceu cornea, ferrea ſiue hæc. *Ibid.*

Procorum autem, qui eandem amabant, & ſuſpiciebant,

a Cōfer locū ex Odyſſ. modo citatū cum iſtoc, nam exēplaria græca uariant.

Genua labaſcunt, mulcenturq; cupidine cæco.
Coniuge Penelope[a] cupit atq; potirier omnis.

Huiuſmodi quidem apud poëtā ſunt de animæ

Tranſitio.

de animę uiribus, & affectibus. Caeterum quamuis multa à philosophis de bonorum finibus, & felicitate sint dicta: tamē de hoc inter illos per omnia conuenit, quod animæ uirtus bonorum sit maximum. At Stoici uirtutē per sese ad felicitatem sufficere putāt, ansa nimirum ex Homericis illis sumpta: in quibus sapientissimum, & prudentissimum quenq;, glorię causa laboris patientem, ac uoluptatis continentem finxit. Ac de priori quidē sic,

Concors philosophorū sententia de bonorum finibus.

Stoicorū de summo bono sententia.

Quàm bene se gessit fortis uir, sustinuitq;:
Ipsum uerberibus domuit, plagisq; cruentis.
Inq; humeros uili iniecta quum fortè lacerna,
Vrbem inimicorū ingreditur, seruo assimulatus.

De posteriori autem ad hunc modū,

Verba sūt Vlyss. ad Penelopem Odyss. 17. et 23.

Sic itidem Circæ retinebar in ædibus altis,
Coniugij tædas cuperet dum, meq; maritum.
Ast animum potuit nequaquam flectere nostrū.

Quid aūt de uirtute sentiat, ex his intelligere possumus, in quibus Achillem nō solum fortem, uerumetiā pulcherrima forma, pedibus pernicissimis, generosissimum, ex illustri patria oriundum; deniq; cui deorum maximus

Probat Homerum idem cum Stoicis de uirtute sentire.

Il. 16.

mus opem ferret. Vlyssem uerò prudentem, ac animo tolerantē: at in reliquis nō admodum fortunatum, propterea quod ipsius statura & uultus, reliquis dotibus non respōderet: & ꝙ haud ex illustribus parentibus, & patria obscura ortus esset: deniq; quod Deū post Iouem *secundū, infensum haberet. Quæ tamen omnia eū nihil prohibebant, quo minus propter animi uirtutem, nominis celebritatē assequeretur. Cæterū Peripatetici, animæ bonis (ut sunt prudētia, fortitudo, temperātia, iustitia) primas tribuūt. Corporis autem bonis (ut est salubritas, robur, pulchritudo, celeritas) secundas. Externis autem (ut est bona existimatio, nobilitas, & opulentia) tertias. Laude nanq; & admiratione dignum existimant, si quis uirtutis præsidio munitus, doloribus, morbis, egestati, perplexis calamitatibus, alijsq; malis resistat: at nec optabile, neque beatum. Si quis autem bonis sapiēter fruatur, eum reuera beatū existimāt. Neq; enim solā uirtutis possessionē, uerum

*Neptunum uidelicet, qui solus ex omnibus dijs Vlyssi infensus erat, propterea quod filium ipsius Polyphemum lumine orbasset: de quo Odyss. lib. 1. ab initio.

Peripateticorū de summo bono sententia.

uerumetiam usum, & efficaciam esse bonum quiddam. Quæ sanè & Homerus perspicuè ostendit. Subinde nanq; deos bonorum datores fingit, quę & homines sibi à dijs pręstari (ut pote ipsis haud inutilia, neque indifferẽtia, sed ad felicitatẽ proficua) exoptant. Quænam ergò bona ab hominibus expetantur, & ob quę beati uocentur, in multis declarat; ac de Mercurio quidem simul uniuersa,

Verba sunt Priami ad Mercurium, egregij iuuenis forma indutum. Il. 24.

Corporis admiranda tua est species, sapis atq;
Mente simul: satus es maiorum stemmate claro.

Testimoniũ nanq; ei de corporis pulchritudine, prudentia, & generositate perhibet. Hæc uero singulatim,

Huic superi formã dederãt, et fortis ut esset. Et,
Magnificas & opes dederat Saturnius almus.

Donum enim & hoc dei est,

Iuppiter ast ipsus tribuit mortalibus illud.

Honor. Nonnunquam uerò & honorem inter bona recenset,

O utinam colerer, colitur ceu Pallas, Apollo.

Fortunata proles. Nonnunquã uerò prolis felicitatem,

Estq; bonum pueros moriendo relinquere iustos.

Aliquando

Aliquãdo autem, si quis familiaribus suis fruatur,

Vos libate dijs, genio indulgete frequenter,
Hospitẽ abire sinatis, ob id quod cũcta supersunt
Quæ mens nostra cupit, deductio, charaq; dona:
Quæ mihi fortunent superi precor, obsecro cũcti.
Vtq; domi inueniam saluos cum coniuge amicos.
Vos itidem teneras uxores, atq; puellos
Delectate domi: precor autem dij superi ut dent
Vobis cũcta bona, ut mala nec uos publica uexẽt.

Vlyßis uerba sunt ad Phæacens. Odyß. 13.

Quod uero in bonorum comparatione, uires diuitijs præstent, in his declarat,

Bonorum inter se comparatio.

Diues erat, sed enim bellator ceu timibunda
Virgo fuit: stultè his fidens, quæ causa necis sunt.

Corporis robur cum opulentia.

Et, *Gaudia nulla ferunt mi quamuis prædia lata,*

Deniq; quod prudentia, egregiæ formæ antecellat,

Prudentia cum formositate.

Inferior forma est alius uir, sed Deus istam
Eloquio suaui decorat.

Verba sunt Vlyßis ad Euryalum, Odyß. 8.

Ex prædictis ergo apparet, quod Homerus & corporis & fortunæ dotes, inter bona recenset. Quod autẽ absque his uirtus ipsa per se ad felicitatẽ non sufficiat, in illis declarat, in quibus duos uiros ad uirtutis summum contendenteis ponens, Nestorem & Vlyssem:

Transitio.

Nestoris & Vlyßis exẽplo inter se collato, probat uirtutẽ solam ad felicitatem non sufficere.

a Quatenus similes aut dißimiles.

Vlyssem: ab aliis quidẽ hominibus differẽteis finxit, inter sese aũt (quantum ad prudentiam, fortitudinem, & dicendi facultatem attinet) [a] simileis: in fortunæ autem dotibus nõ itidem, propterea quod dii Nestorem abundè felicem reddiderant, siue dum nasceretur, siue in coniugio uersaretur: quódq; illi dederãt summa cum opulentia magnificis in ædibus senescere: denicq;,

Il.1.

Quod iuuenes illi sapidos, belloq; feroces.

Odyß.3.

Vlyssem uero (quanquam cõsultus, solers, ac prudens esset) infelicem sæpenumero appellat. Et hoc ideo, ꝙ ille celeri & tuta nauigatione: hic uerò diuturnis erroribus, laboribus, & periculis innumẽris exantlatis, in patriam redierit. Adeò optabile ac beatum est, si quãdo fortuna uirtuti auxilio, non obstaculo fuerit. Cęterũ quo pacto uirtutis possessio nihil prosit, nisi & agendo efficax sit, ex his patet, in quibus Patroclus Achillẽ obiurgando, ait, eum uirtute sua aliis perniciẽ accersere,

Explicat dißimilitudinis partes.

ἐπιφώνημα.

Sic Cic. li.1. Of.

Virtutis laus omnis in actione consistit.

Ab initio lib. 16. Iliad.

Quem

Quem fructum ex uirtute tua cœpiße minores
Dicent, quum Danais non tanta pericula pulses?

Sic enim eum alloquitur, qui uirtutem inertia sua inutilẽ reddebat. Ipse quoq; Achilles hanc inertiam deplorans ait,

Sed sedeo ad naues, telluris inutile pondus: Odyß.11.
Militibus præstem Danais quanquam, ducibusq;.

Dolet enim quod uirtute prędítus, ea nõ esset usus: sed Græcis indignãdo,

Concilium clarum nunquam decoraret Achiuûm, ΙΛ. α.
Atq; manens inibi, cor dilectum maceraret,
Prælia iniqua precãs Danais, sæuumq; tumultũ.

Phœnix nanq; ad hunc modũ illum erudierat,

Vt bene dicendi gnarus fieret, bene agendi. Il.9.

Vnde et uita functus inertia illa offenditur, dicens, Odyß.11.

Maluerim quamuis nihili seruire colono,
Cui tenuis uictus: quàm manibus hisce præesse.

Et causam subiungit,

Sole carens etenim nunc, non sum talis, ut olim,
Mœnia dum Phœbi uastaret Achiua iuuentus.

Pręterea Stoici dicentes, bonos uiros dijs amicos esse, ab Homero id mutuati sunt, qui sup Amphiarao inqt, *Boni uiri secundũ Stoicos, deorum amici.*

Iuppiter ex animo hũc dilexit, Apolloq; Phœbus. Odyß.15.

G Et

Et de Vlysse,

Gaudebatq; Minerua uiro iusto, sapienti.

Virtus doceri potest.

Est autem eorũdem philosophorum & hoc placitum, uirtutem esse docibilem: quippe quæ pro initio generositatem habeat (quod & Homerus sensit, dum inquit,

Est talis genitor tibi, nam prudentia dicis)

Vera uirtutis sciẽtia in effectu consistit.

& per disciplinas ad summum deducatur. Recta nanq; uita uirtutis scientia est; hoc est, ea facere, quæ rectè uicturos decent. Hæc igitur apud Homerum quoq; sunt. dicit enim,

Verba sũt Phœnicis ad Achillem. Il. 9.

Dum puer ignarus linguæ, belliq; cruenti.

Et in alijs,

Non animus iußit, quia fortis, strenuus atq;.

Et phœnix de Achille inquit,

Inibi.

Idcirco præmissus eram, hæc ut cuncta docerem:
Vt bene dicendi gnarus fieres, bene agendi.

Epilogus disputionis de Philosophia morali, & naturali.

Nam quum uita & ex dictis, & factis constet: ideo se præceptorem adolescẽtis in illis fuisse ait. Atq; ita ex iam dictis nimirũ patet, quod quamlibet uirtutẽ doceri posse ostẽdat. Ad hũc igitur modum Homerus cum in moralibus, tum naturalibus, philosophatur.

tur. Cęterum eiusdem contemplationis, Arithmetica & Musica est: quas & Pythagoras præ alijs coluit. Videamus ergò num & harum mētio apud poëtam sit: imò uero plurima. Pauca autem ex multis exēplis adducta, sufficient. Quū itaq; Pythagoras existimaret, numeros maximā uim obtinere: omniaq; ad numeros referret, cū siderū meatus, tum animantiū generationes: duo suprema principia ponebat, unum finitū, quod unitatem: alterum infinitum, quod dualitatem appellabat. ita ut illa bonorū, hæc autem malorum initium esset. Vnitatis enim natura cœlo (quod omnia complectitur) insita, tēperiem: animis uirtutem, corpori sanitatem, urbibus & ædibus pacem & concordiam suppeditat. Quicquid enim bonū est, cum cōcordia familiaritatem habet. Dualitatis omnia cōtraria sunt. Aëri nanq; tempestatem, animabus uitiositatem, corporibus morbos, urbibus & domibus seditiones ac inimicitias procreat. Omne nanq; malum ex discor

Arithmetica, et Musica, contemplatiuæ orationis species.

Pythagoras numerorū studiosus, de quo lege Macrob. li. 1. in Som. Scip. ca. 5. & lib. 2. ca. 1.

Vnitas finita.

Dualitas infinita.

Earundem uis.

Concordiæ bonum, & discordiæ malum.

Contentio Rhetorica.

dia & dissidio nascit. Unde et quemuis parium numerorũ inopem ac imperfectum, imparem uerò & plenum & absolutum demonstrat. propterea quod dum pari miscet, subindè uim suam obtinet. Neq; in hac solum parte superior est impar: uerũ etiam sibi additus, parem numerũ generat. [a]Fœcundus nanq; est, originis suæ uim retinet, ac diuisionem non recipit, unitate semper in ipso excellente. Par autẽ sibi additus, imparem nec producit, nec indiuisibilis est. Ergo & Homerus unitatis naturam in boni cõditione, ac dualitatis in mali, ponere uidetur: sæpe bonũ uirũ, & bonitatem ab unitate appellans, afflictionem uerò à dualitate: cum inquit,

Cur par numerus impfectus, impar uero perfectus sit.

a Eã ob causam Arithmetici (teste Macrob. lib. 1. in Som. Scip. ca. 6.) parem numerũ fœminã, imparem uerò masculum uocitabant.

Adductis exemplis probat, Pythagoræ placitũ Hom. nõ fuisse incognitum.

Ιλ. β. *Conuenit haud multos regnare, sed unus erit rex.*

Et, *Bifariam bello, nec pace loquantur Achiui,*
Vna sed his sit mens, ac consultent sapienter.

Subinde autem impari numero, tanquam præstantiore utitur. Etenim totum mundum quinq; partibus cõstare fingens, tres harum in medio existenteis diuidit,

Cur impari numero frequẽter utatur.

Tripliciter

Tripliciter sunt secta, data & sua portio cuiq;. *Il.o.*

Eam ob causam Aristoteles quinque elemēta posuit, utpote impari ac pleno numero ubiq; dominante. Praeterea, & dijs coelestibus imparia distribuit. Nestor enim Neptuno nouies nouem tauros sacrificat. Et Tiresias Vlyssem immolare iubet arietē, porcorum custodem. At Achilles in Patrocli exequijs non nisi paria immolabat, nēpe quatuor equos, duodecim strenuos magnanimorum Troianorum filios, ac nouem canes: quorum duos in pyrā inijcit, ut septem sibi relinqueret. Ad haec in multis ternario, quinario, & septenario utitur: praecipue autem nouenario,

Vide suprà de elementis.

Odyss.11.

Il.23.

Sic iurgans senior, surguntq; uiri inde noueni. Il. 7.

Et, Nouenales enim hi. Et, Nouē cubitorū latitudo erat, lōgitudoq; nouem ulnarum. Et,

Perq; nouem soles grassatur pestis iniqua. Il. 1.

Et, Nouē diebus hospitaliter tractauit, nouemq; boues sacrificauit. Cur nam ergo nouenarius numerus perfectissimus est? quia à primo impari

Cur nouenarius numerus omnium perfectissimus sit.

quadratus est, & impariter impar, dũ in tres terniones diuiditur: quorũ singuli rursus in tres unitates secantur.

Transitio.

Calculandi compendium ab Homero indicatũ.

Il. β.

Non solum autem numerorum uim, sed et cõpendiariam cõputandi uiam demonstrauit. Vt quũ in nauiũ catalogo inquit: Harũ quidẽ urbiũ quinquaginta naues ibant, in quarũ singulis, singuli centeni & uigeni Bœotij erant. Et rursus quinquaginta erãt uiri. Vnde ratiocinandi occasionẽ præbet, quod cũ omnes naues fermè mille ducẽtę forent, ac cẽteni singuli singulis præessent: uniuersus numerus centũ uiginti miliũ surgat. Rursus autem dum de Troianis locut[9], inquit:

Numerus Græcanici exercitus.

Troianorũ numerus.

Mille autem pyrę in campo ardebãt, ac iuxta singulas quinquageni erãt uiri: calculandi occasionem dat, quod quinquies decẽ millia absq; socijs fuerint.

De Musica.

Cæterum Musicam animę famíliarissimam (eo quod harmonia ex diuersis initijs tẽperata est) & quod cantibus ac rhythmis animos ipsorũ dissolutos intẽderet, eorũdẽq; uehementiam remitteret; Pythagorici studiosè colue-

coluerunt, ac Homerus ante ipsos. Laudibus nanque eam (ubi de Sirenibus agit) prosequitur: quibus & hoc epilogi uice addit, *Lege Macrobii lib. 1. in Somn. Scip. ca. 1.* *Odyss. 12.*

Delectatus abit, multa atq; celebria noscens.

Alibi uerò in conuiuijs citharam recipit: ut apud Procos, *Odyss. α.*

Nam superi coenis citharam fecere sodalem.

Et apud Alcinoum citharœdus egregium carmen meditabatur. Præterea in nuptijs tibiæ, citharæq; sonabant. Ac inter uindemiæ operas puer sonora cithara, iucundum quiddam citharizabat, egregiumq; Lini carmen succinebat. Insuper in bello, tibiarum, fistularumq; sonum audiri narrat. Nihilo tamē secius & ad luctus Musicam recipit, ubi lamentationum præludenteis cantores fingit, utpote quod modorum facilitate, animi difficultatem prouocet. Porrò nec obscurū quod duplex melodia est: una quidē in uoce, altera uero in instrumentis consistens, quæ partim inflantur, partim intenduntur. Sonorū aūt in ea, unus grauis, alter acutus est. Quorū diffe- *Odyss. 8.* *Il. 18.* *Cur Musica lamentationibus adhibeatur.* *Duplex Musicæ species.* *Duplex sonus.*

rētias & Homerus calluit, dū mulieres, pueros, & senes, acuta uoce, propter spiritus tenuitatē, fingit: uiros autem graui uoce cū in aliis, tū in his,

Vide Alex. Aphrodisei Problemata.

Astitit afflicto grauiter, genetrix ueneranda,
Filioloq; caput prendens, ululabat acutè.

Et rursus,

Sicq; gemens grauiter, cunctos affatur Achiuos.

Il. γ. Senes autem cicadis similes, animantibus acuta uoce præditis comparantur. Cæterum quæcūq; chordæ in instrumentis tenues sunt, & assiduè mouentur, aërem facilius secant: unde & acutum sonum efficiunt. Crassæ uerò lentum habentes motum, grauius sonant. Quam ob rem etiam Homerus flagellum acutū appellauit, q tenue existēs acutum ederet sonum. Hactenus de Musica Homeri. Porrò quum inter hæc & Pythagoræ mentionem fecerimus (cui taciturnitas, & ea silere, quæ dicere nefas est, maximè placuit) uideamus num & Homerus ita senserit. Nam de uinolentis ait,

Geminus instrumētorum sonus, de quo lege Macrobium li. 2. in Som. Scip. ca. 4.

Cur Homerus flagellum acutū uocet.

Silentiū Pythagoricum, de quo Gell. lib. 1. ca. 9.

Sermo quis excidit? hunc etenim tacuisse iuuaret.

Et Thersitam obiurgat Vlysses,

Contineas

Contineas linguam, quamuis uideare disertus
Orator: sine iudicio quum cuncta loquaris.

Et Aiax Idomeneum taxando dicit: Subinde procaciter loqueris, neque procacem concionatorem te esse cõuenit. Ad hæc inter exercitus pugnã indipiscenteis, Troes clangore ac clamore auium instar ibant. Achiui uerò cum silentio, animi robur spirãtes. Clamor nanque barbarorũ, silentium autem Græcorũ est. Quapropter & prudentissimos quosque, lingua continentissima finxit: ut dum Vlysses filium adhortatur, *Il. 7. & Gel. li. 1. ca. 11. deniq; Plut. de audiẽda Poëtica.*

Si meus es uerè, peperitq; mihi tua mater,
Nesciat hocce pater Laërtes, atq; subulcus.
Ac reliqui uernæ, nec coniunx Penelopea. *Odyß. 16.*

Et dum rursus eũ admonet: Sile, atque in animo tuo contine, nec quære. Atque huiusmodi quidem placita illustrium philosophorum sunt, quæ ab Homero originem habent. Sin uerò etiã horũ meminisse oportet, qui proprias quasdã sectas sibi elegerũt: inuenerimus & illos occasionẽ ab Homero accepisse. Democritus eñ ima- *Transitio. Minus illustriũ Philosophorum sectæ itidem ab Homero natæ. Democriti opi-*

gines fingẽs, ex illis mutuatus esse ui detur,

nio, de qua Cic. li.1. de Finib. & Plut. in Philoso phorũ placitis.

a Aeneæ at uacuum posuit Phœbus simulacrũ.

a Il. 5.

Alios uerò erranteis ita adducit, ut appareat illum non ita sensisse, sed temporis opportunitatẽ spectasse. Dum enim Vlysses apud Alcinoum uoluptate ac delicijs diffluentem detineretur, in illius gratiam differens ait,

Quatenus Homerus delicias laudet.

Odyß. 9.

Gratius esse nihil duco, quàm cunctis abundè
Dum populus lætatur, in ædibus atq; canorus
Auditur fidicen, mensæ dapibusq; struuntur,
Vinaq; dum pateris fundit pincerna fidelis:
Hoc mihi nequicquam melius, potiusq; uidetur.

Epicuri placitum.

His & Epicurus adductus est, ut summum bonũ in uoluptate poneret. Ad hæc ille ipse Vlysses nonnunq; preciosa & tenera ueste induebatur: nõnunquã uerò pannis & pera. Et nũc apud Calypsonem ociũ agebat, nũc ab Iro & Melanthio contumelijs afficiebatur. Hac uitę imagine assumpta, Aristippus non solum cum paupertate & laboribus ualide cõflictatus est, sed etiã uoluptatibus affatim studuit. Cęterum has quoq; sapientię Homericæ

Aristippi: de quo Horat. Oĩs Aristippum decuit color, et status, & res.

ricæ notas deprehendere licet, quod multa & egregia sapientũ uirorũ apophthegmata primus enũtiauit: ut,

Sectabere numen
Dij ueros soliti sunt exaudire clienteis.

Et, Ne quid nimis. Et, Alium quidem odi, qui uel nimiũ amauerit, uel oderit. Et, Meliora autem sunt mediocria cuncta. Et, Sponsioni noxa adest,

Pro misero miserum est quicquã spondere sodali.

Deniq; illud Pythagoræ ad eum, qui interrogabat, quis est amicus? Alter ego, perinde ut meum caput. Ad eandem apophthegmatũ speciẽ & gnome (quæ sic uocat) pertinet. Estq; uniuersalis & succincta de rebus humanis uitæ enunciatio. Porrò quum poëtæ, philosophi, & oratores omnes ista sint usi, atq; in edendis quibusdã sententiosis se exercuerint: Homerus primus multas & bonas sententias per totam poësim protulit: nonnũquam demonstrando, cuiusmodi hoc esset, quod ostẽdere uellet. ut quãdo dicit,

Rex etenim superat succensens inferiori.

Scite dicta.

Vide prouerb. Deum sequere.

Verba sũt Achillis ad Mineruã. Iliad. 1.

Sponde, noxa præsto est.

Vide prouerb. Amicitia æqualitas.

Quid gnome.

Primus sententiæ usurpandæ modus.

Il. a.

Nonnunquam

Secũdus modus. Nõnunq̃ uerò q̃d facto opus ſit, ut,

Iliad. 2. *Principis eſt totam nequaquam ſtertere noctem.*

Multos Poëtas, Philoſophos, et Oratores ſentẽtijs ab Homero inuentis, paraphraſticè uſos eſſe.

Cęterum haud parum multi ex poſteris, multas ſententias, ac bonas admonitiones, quas Homerus edidit, alĳs uerbis expreſſerunt. Quorum quędã exempla adducere, haud intempeſtiuum fuerit: ueluti eſt illud Homeri,

Stultum eſt, inſipidumq́; Ioui contendere ſummo.
Nunquid adhuc illum compeſcere quimus, eũtes
In cœlum propius, iurgantes, uiq́; tenentes?
Aſt ſedet excelſius, conamina talia ridens:
Nanq; putat præſtare dijs ſe robore cunctis.
Omnia ab hoc pendẽt mala, ſuntq́; immiſſa cuiq;.

Cui illud Pythagoricum affine eſt,

Si mala te uexent hominum conſueta, feres tu
Aequo animo ſortem: non indignabere cuiquam.

Præterea illud Euripidis,

Rebus malis decet nec indignarier,
Prodeſt enim parum: ſed infortunia
Aequo ferens animo, beatam uitam agit.

Atq; Homerus quidem rurſus ait,

Verba ſunt Thetidis ad Achillẽ, Il. ultimo.

Quur lachrymas fundis mi q̃ chariſsime nate,
Atq; tuum maceras animum?

Pythagoras. Pythagoras uerò,

Ne maceres animum: uitæ quo parcere poßis.

Ad hæc Homero dicente,

Talis

Talis mens hominum est, lucem Saturnius almus
Qualem illis dederit, nutu qui quassat Olympũ.

Archilochus cum alia illius imitans, tum hoc paraphrasticè dixit, **Archilochus.**

Eiusmodi mens est hominis, qualem diem
Glauci, dedit Iouis uoluntas maximi.

Et in alijs Homero dicente,

Nanq; alij Deus, ut curæ sint Martia facta:
Ast alij dedit, ut sapiat, sit prouidus atq;
Cum sibi, tumq; alijs, ac oppida seruet ab hoste.
Atq; hæc ipse tenes imprimis optime ductor.

Verba sunt Polydamantis ad Hectorẽ. Il. 13.

Euripides ad huius imitationẽ finxit, **Euripides.**

Vrbs, & domus uiris uiget sagacibus,
Res bellicasq; uir peritus ordinat,
Vnus enim sagax necat manum hostium:
Turba imperita sed malum est acerbius.

In quibus autem Idomeneus fingitur amicum adhortari,

Il. 12. hæc uerba Sarpedoni, non Idomeneo, tribuuntur.

Quod si uitantes hæc prælia, nulla senectus
Immineat nobis, nec mors incumberet atra:
Non ego prima acie pugnarim: nec quoq; pugnà
Vt caperes, unquam suasurus sim tibi amice.
Clotho sed ex æquo uoluat quum stamina cuiq;,
Atropos atq; ea rescindat nullo prohibente:
Quæso alios superemus euntes, aut superemur.

Aeschylus post eum dicens, sic ait: **Aeschylus.**

Nec mortem obit, quicunq; uulnus accipit
Letale: uitæ ni sit huius terminus.

Vnicuiq; suus uitæ terminus est fixus.

Nec

Nec in domo sedens, necem uitauerit
Vnquam magis: certum est enim fatum omnium.

Demosth. περὶ τ͂ στεφάνου, seu pro Ctesiphonte.

In soluta autem oratione Demosthenes sic ait: Mors cūctis mortalibus uitæ terminus est, etiā si quis eam in cellula conclusam seruet. Bonos autem uiros decet, * semper egregia quæq; conari: ac generoso animo ferre, quicquid Deus dederit. Rursus autem illud Homeri,

* *Apud Demosthenē additur τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα, id est, bona spe concepta.*

Splendida dona Deus quæcunq; dedit, retinenda:

Sophocles.

Sophocles alijs uerbis extulit,

Donum Dei est, proinde nec contempseris,
Quicquid Deus donarit, hoc nec respuas.

Secundum illud uerò,

ιλ. α.

Huius ab ore fluens uox, uicerit Attica mella:

Theocritus.

Theocritus dixit,

Musa ideo dedit huic dulcem sermone liquorem.

Quo modo autē & Aratus hoc quidem paraphrasticè expressit,

Aratus in Phænomenis. Mendū autē in Græcis Plut. exēplaribus est, pro ἄρκτου nanq;, καὶ πεφυλαγμένω, legendū est, ἄρκτοι πεφυλαγμέναι.

Sola autem Oceani non tingitur illa lauacro:

Dicens,

Vrsæ cæruleo uitantes æquore tingi.

Illud autem,

Animumq; à morte lucrantur: dicens,

Paruus nanq; gradus mortē prohibebat acerbā.

Atque de his quidem satis. Cęterum ciuilis

ciuilis oratio in Rhetorica arte consistit, quam Homerus primus tenuisse uidetur. Si nnaque Rhetorica uis est probabiliter dicẽdi, quis maiorem quàm Homerus, in hac facultate operam posuit? Quippe qui non solũ magniloquẽtia omneis excellat, uerum etiam sententijs æquale uerborũ pondus adhibeat. Porrò præcipua artis pars dispositio est, quam per totã poësim ostendit, maximè in rerũ initijs. [a] Non enim exordio longè petito in Iliade usus est: [b] sed ab eo tẽpore, quo efficaciora ac celebriora facinora sũt edita. His autẽ inertiora, & quæ prius acciderant, in alijs locis, succinctè ac obiter recẽsuit. [c] Atq; idẽ in Odyssea fecit, ubi à nouissimis erroribus Vlyssis orsus est, in quibus occasionẽ habebat inducẽdi Telemachi, ac declarandi contumeliã procorũ. Quęcũq; uerò antehac Vlyssi erranti contigerãt, ipsum enarrantẽ inducit: [d] in hoc, ut non tantum uehemẽtiora, uerum etiã probabiliora uiderentur: quũ ab ipso, qui passus erat, dicerẽtur. Porrò quum

Rhetorica ciuilis orationis pars, de qua Fabius li. 2. ca. 16. Obseruabis autem hic demum eam diuisionem absolui, quã suprà orationẽ in historicã & politicam secuit.

Dispositio præcipua rhetoricæ pars.

a Sic Horat. in arte Poët. Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.

b Vide suprà, cur à 9. demum anno Iliadẽ incęperit.

c Lege Macro. li. 5. Satur. ca. 2.

d Cur fingat Vlyssem ipsum errores suos narrantem.

quum omnes oratores ſubinde exor dijs utantur, ut auditorem attentum, aut beneuolum faciant: poëta quoq; ijs potiſſimum exordijs uſus eſt, quæ auditorem & mouerent, & attentum redderent. Vt dum in Iliade pręfatur, ſe dicturum quanta mala Græcis ob Achillis iram, & Agamemnonis con tumeliam acciderint. Et in Odyſſea, quot laboribus & periculis exantla tis, Vlyſſes cunctos animi prudentia & tolerãtia uicerit. Deniq; in utriuſq; poëmatis exordio, Muſam ideo inuo cat, ut ea quæ dicerentur, auguſtiora, maioriſq; exiſtimationis eſſent. Porrò quum multas perſonas, uerba aũt ad familiareis, amicos, inimicos, aut populum facienteis introducat: unicuiq; tamen decorum in dicendo tribuit. Vt ab initio ubi Chryſam in oratione ad Græcos, fingit cõmodiſſimo exordio uſum eſſe. Optat enim ipſis, ut hoſtibus ſuperiores facti, domũ redeãt: in hoc ut beneuolentiam ab eis captet, deinde filiam efflagitat. Achilles autem ob Agamemnonis minas indignans,

Duæ exordij partes.

Iliadis exordium.

Odyſſeæ.

Cur Muſam in utriuſq; poëmatis exordio inuocet. Lege Fabiũ lib. 10. ca. 1.

Decorum perſonarũ, quod Cic. lib. 1. Off. tum à Poëtis ſeruari dicit, quum id, quod cuiq; pſonæ dignũ eſt, fingũt aut dici, aut fieri.

Chryſæ ſupplicatoria. Il. α.

indignãs, orationẽ mixtam cum pro se, tũ pro Græcis habet: ut & illos auditores benigniores faceret. Omnes nanq; in bellum amandati erãt, non priuatæ alicuius inimicitiæ causa, sed in Agamemnonis, & fratris eius gratiam. Adhæc ob multa egregia facta, se munus non ab istis, sed ex communi Græcorũ cõsensu accepisse. Quibus ex aduerso Agamemnon respondens, non dubitat quin & ipse multitudinẽ demulceat. Quũ enim Achilles dixisset se in patriam rediturũ esse, ob contumeliã qua erat affectus, nõ dixit Abi, sed Fuge: ut hoc, quod simpliciter dictum erat, probro ei daret. Deniq; non Obsecro, inquit, te ut maneas: adsunt enim alij quoq;, qui me in precio habebunt. id quod auditoribus gratũ erat. Præterea Nestor orator introducitur, quem suauiloquũ, & tinnulum concionatorẽ appellat,

Achillis oratio.

Agamemnonis ἀντιλογία.

Nestoris oratio.

Cuius ab ore fluit uox dulcior Attica mella. ἰλ. α.

Quo elogio rhetori nullũ maius obtigerit. Quid autem is orando tractat? Orditur ab exordio, quo diffidẽtibus

Hinc est, quod Quintilianus lib. 10. Isocratis

iucunditatẽ tantopere commendat.

optimatibus pœnitudinẽ incutit, & cogitandi anſam dat, quod dum inter ſe diſceptarent, hoſtibus lætitiæ occaſionem prębituri eſſent. Primò autem utrunq; admonet, & ut ipſi tanquam ſeniori obſecundet adhortatur. Atque dum alterum modeſtiæ commonefacit, alteri gratificatur. Siquidem Agamemnonẽ hortať, ne munus ei datum, qui multum laboris exhauſerat, eriperet: Achillẽ uerò, ne cũ ſummo rege contenderet. Deniq; neutrũ ſua laude fruſtratur, dum illum pluribus imperare, hunc uero plus fortitudinis habere dicit. Atq; hunc in modum eos mitigare annititur.

ιλ. β. Nũquid uerò & in ſequentibus (quando Agamemnon ſomniũ uidebat, quod bonam ei ſpem Iouis iuſſu faciebat, atq; ut Græcos armaret, iubebat) Rhetorica uſus eſt arte: dum cõtraria ijs, quæ ſentiebat, in hoc ad multitudinem dicit, ut de illorum uolũtate periculum faceret, num uidelicet moleſte laturi eſſent, ſi quando in aciem educerentur. Atq; ipſe quidẽ plebi grata dicit,

Artificioſa Agamemnonis oratio.

Alius

Alius autem quidẽ eorũ, qui persuadendi facultatẽ habebat, ad perseuerandum hortatur, ut quę ipsissima regis sententia esset. Dum enim orationem ad optimates habet, declarat ꝙ contrariũ, quàm apud multitudinem præseferebat, uellet. Vlysses itaque illius uerba probè tenens, ac decora in dicendo libertate utens optimates mitibus dictis persuadet, inferiores autẽ additis minis, se prę̃stãtioribus auscultare cogit. Turba denique multitudinis & tumultu sedato, simul omneis prudentibus dictis persuadet: modestè illis exprobrãs, quod pollicitis nõ starent: simulq́ eos uenia dignatur, quod multo tempore ocium agẽtes, charissimis destituti essent. Ac tãdem cõsolatione & spe illis ex uaticinio facta, ut maneant persuadet. Ad eundẽ modũ & Nestor uerba quidem nonnihil immutata, sed in idem tendẽtia faciens: ac maiori in dicẽdo libertate aduersus desidia marcescẽteis, utens, multitudinem persuadet: & negligentiæ causam in paucos referẽs, multos

Vlyßis dehortatoria.

Nestoris oratio, imbi lib. 2. Iliad.

rubore suffundit. Addit autem & inobedientibus minas, atq; regi statim cōsulit, quo pacto militares copię centuriandę sint. Rursus autem quum in bellicis Græcorū facinoribus alij benè, alij malè se gessissent; Diomedes (quippe à iuuentute cōfidentiam, & ex strenuitate dicendi libertatem habens) donec animi sui magnitudinē commonstraret, regis cōuitium silentio prætereundum putauit: tum uero Agamemnonem obiurgat, ut qui prę ignauia fugam consuleret. Ait enim,

Diomedis obiurgatoria.

Ab initio 9. Iliados.

Tecum rex mihi disceptatio perperam agente,
Legibus atq; licere puto, proin ne stomacheris.

Eiusdem orationis enarratio.

In quibus simul eū admonere conatur: simul & iram ab eo deprecaẗ. Ac tum demū anteacta sua gesta sine inuidia commemorat, dicens:

Cūcta hæc facta sciunt iuuenesq;, senesq; Pelasgi.

In ijs autem quæ sequuntur, Græcos adhortaẗ, collaudando eos artificiosè,

Vsq; adeò Dolopes ignauos esse putasti,
Infelix: ueluti modo cunctis consuluisti.

Deniq; ipsum Agamemnonem placat, liberū ei faciēs, si uelit, abire: alios enim

enim opem laturos. Imò & si omnes fugæ se mandauerint, tamen se cũ sodali permansurum esse, ac pugnaturum, dicens: Vterq; nostrum, ego & Sthenelus pugnabimus. Nestor uero hunc ob egregia quidem consilia, & facta cõmendat: Sub finem autem consilij ait, se (quippe natu maiorem) dignum esse, qui admoneat. Ac tandem oratione prosequitur, quo pacto legati ad Achillem mittendi sint. Porrò in illa ipsa legatione, oratores uarijs artibus uti fingit. Vlyssis nanque orationem exordiens, non statim dicit, Agamemnonem pœnituit quod Briseidem rapuit, puellam restituere uult. Et, Dona quædam nunc mittit, quædam uerò in posterum pollicetur se daturũ: (neq; enim cõmodum erat illa commemorare, turgescẽte etiam num illius animo) sed primò Achillem ad cõmiserandum miseras Græcorũ uices prouocat: deinde ait, eum posthac calamitatibus illis frustrà medelam adhibiturum, quum non amplius possit. Deinceps & Pelei monita

Nestoreæ orationis dispositio.

Vlyßis suasoria ad Achillem.

Quantã sermocinatio uim habeat, perpende.

Inuidia κατὰ προσωποποιίαν declinatur.

nita illi in memoriam reuocat, dum inuidiã à se amoliens, sermonẽ persona patris attribuit, utpote quæ ipsum magis flectere posset. Demũ quando iam mitior factus esse uideretur, tum donorũ Agamemnonis mentionem facit, ac rursus sermonẽ ad supplicandum pro Græcis trãsfert: Esto quod Agamemnoni iure sis infensus, attamen illos te seruare decet, qui nihil in te peccauerunt. Conueniebat enim epilogum (in quo pręcipua orationis capita refricantur) eiusmodi rebus instructũ esse, quæ auditorem nihil offenderent. Postrema aũt exhortatio aculeum quendam habet, qui aduersus hosteis ipsum contemnenteis, incitaret. Nunc enim, inquit, Hectorem interfeceris, quum se tibi opposuerit: quandoquidem nullum Gręcorum sibi æqualem esse dicit. Phœnix autẽ ueritus, ne preces per se non satis efficaces essent, lachrymas profundit: ac primũ quidẽ eius consilio acquiescit, dicens, se nõ derelinquendũ, si Achilles nauibus istinc soluturus esset: hoc enim

Qualẽ oporteat epilogũ esse.

Supplicatoria, et planè pathetica Phœnicis oratio.

enim illi gratũ erat. Huiusq; rei causam esse dicit, quod Peleus eũ adhuc infantem ipsi educandum cõmiserit: ac dignum putauerit, qui ei & dicẽdi & faciendi magister esset. Obiter autem & peccata eius in iuuẽtute commissa narrat: declarãs huiusmodi ętatem rerum imperitam esse. Atq; orando pergens nihil eorum omittit, quæ ad exhortationem faciũt, cunctis rhetorũ præceptis summatim utens. Primo, quod honestũ sit, cum supplicante, dona mittente, & non solum optimos quosq; legatos, sed ex illis præstantissimos amandante, in gratiã redire. Deinde quod & ipse dignus sit, qui exaudiatur, quippe illius & educator, & præceptor. Deniq; futurum esse, ut pœnitentia ducatur, si præsentem occasionẽ amiserit. Atq; ad hoc probandũ Meleagri exemplo utitur, qui dum à familiaribus obsecraretur, ut suppetias patriæ ferret, illis morem nõ gerebat: donec præ necessitate calamitatum urbem inuadentiũ, ad hostium uim propulsandam uersus est.

...tis. *Ab honesto.* *Incrementum.* *Ab incõmodo.*

Mascula Aiacis oratio.

Cæterũ Aiax neq̃ cõmiseratione, neque supplicatione sibi opus esse putans, sed libertate dicendi usus, Achilli affectũ illum eximere decreuit: partim quidem eum opportunè obiurgans, partim uerò generosè obsecrãs, ne eũ tandẽ irritaret. Sic enim ei conueniebat, qui eâdẽ uirtute pollebat.

Achillis responsum, generoso et aperto ipsius ingenio cõueniẽs.

Horum autem unicuiq; Achilles respondẽs, mores cum generosos, tum simplices præsefert. Aliis nanque argutè simul & magnificè contradicit, dum probabileis iræ suę causas adducit: Aiaci autem se purgat. Ac Vlyssi quidẽ ait, se postera die nauigio in patriam remeaturum. Quũ autem precibus Phœnicis nonnihil flecteretur, ait se de classe in patriam reducenda consilium capere. Aiacis uerò libertate uictus, ingenue fatetur, quicquid facturus erat: quod scilicet non antè in præliũ descẽsurus esset, q̃ Hector ad tentoria ipsius, & naues, multis Græcorũ necatis, peruenisset. Vbi etiam dicit, se Hectorem quantumuis in pugna ferocem, sedaturũ esse. Atq; hoc illi

illi Vlyssis dicto opposuit, quo eum adhortatur erat, ut Hectoris impetũ reprimeret. In Phœnicis autẽ oratione & illud exhibet, quod Rhetorica sit ars: dicit enim Achilli,

Redit ad Phœnicis orationem.

An rhetorica sit ars, lege Cic. li. 3. de Orat. et Fabiũ lib. 2. ca. 18.

Idcirco puerum te, nec graue Martis onus, nec
Concio quid posset gnarum, accepi erudiendum.
Nanq; forum celebrat multos, redditq; beatos.
Idcirco inquam, misit ut hæc te cuncta docerem:
Vt dicendo fores clarus, bellisq; gerendis.

In quibus & hoc innuit, quod dicendi facultas potissimè uiros illustreis faciat. Est aũt & in aliјs multis poëseos illius locis inuenire orationes rhetoricam sapientes. Accusationis nanq; et purgationis modũ cũ in aliјs cõmonstrat, tum in quibus Hector germanũ taxat, timiditatem & incontinentiam ei exprobrãs: & quod quũ talis esset, tamen homines procul dissitos iniuria affecisset, unde suis malorum autor extitisset. Alexander uerò germani excandescentiam in hoc frangit, quod se iure optimo reprehendi ab illo fatetur: & quod timiditatis crimen amolitur, dum pollicetur se singulari certamine

Iudicialis generis exemplum. Ab exordio lib. 3. Iliad.

tamine cum Menelao cõgressurum. Homerũ itaq; dicẽdi artificẽ esse, nemo rectè sentientiũ negauerit. Quippe cum & alia euidẽtissima exempla ex eo adduci possent. non neglexit autem quin singulas singulis oratoribus dicendi formas attribueret: Nestorem suauem, et auditoribus gratũ: Menelaum uerò breuitati studẽtem, *& propositi tenacem: Vlyssem uerò multa, & densa uerborũ suppellectili utẽtem. Hæc enim Antenor de duobus heroibus istis testatur, quod eos audiuisset, quando legatione fungentes, Iliũ peruenerãt. Atq; has dicendi species Homerus ipse passim in sua poësi insinuans, exhibet. Nouit autẽ & orationũ contentionem, quæ subinde in omni negocio contrariæ ponuntur, ut per probabilem dicendi facultatem, idem & probent, & improbent. Ait enim:

Epilogus particularis.

Tres dicẽdi formæ.

Nestoris, de quo Iliad. 1.

Menelai, & Vlyssis, de quibus Iliad. 3.

**Hom. οὐκ ἀφαμαρτοεπῆ, id est, aberrantẽ à scopo, appellat.*

Alius part. epilogus.

ἀντιλογίαι.

a Aeneæ uerba sunt ad Achillẽ, Il. 20. quẽ locũ uel ob hoc potissimum consule, quod hi uersus aliter isthic, quã hic legantur.

a *Flexibilis quanquã sit lingua hominum, uariusq;*
Sermo hinc exoriatur, & omnigena regione
Huc illuc uolitet multus: constat tamen illud,
Qualia uerba facis, quod talia mox tibi fient. 5

Lege Eras. Prouerb. Qualia dixeris, &c.

Nouit

Nouit autem & hæc copiosius dicere, & breuius repetere: id quod recapitulatio uocatur, & apud Oratores in usu est, quando negocium postulat, rem pluribus dictam, breui compendio in memoriam reuocare. Quæ enim Vlysses apud Phæacenseis in quatuor rhapsodijs narrauerat, ea denuo breuius in hisce perstringit,

Anacephalæosis quid, & quis eiusdem usus.

Cœperat ut primum Ciconas domitauerit, atque Deinde. Et reliqua. Cæterum quum ciuilis oratio & legis peritiam complectatur, neque Homerum istius imperitum deprehenderimus. An uero legis nomen illius seculo in usu fuerit, liquidò pronunciare nequeo. Alij enim constare dicunt, quod legis nomen tenuerit, idque ex eo, quod dixit: Hominum iniuriam & æquitatem spectantes *. Aristarchus uero Graijs æquitatem à bene distribuendo dictam esse putat.[a] Atqui & lex hinc appellata uidetur, quod æqua cunctis, seu pro merito unicuique tribuat. Quod autem legum uim tenuerit (etsi id non ex scriptis, sed ex hominum consilijs colligi queat)

Sub finem 23. Odyß.

Legum scientia ciuilis orationis species.

Legis nomenclatura Homeri seculo incognita.

Eunomia unde.

* *Suple Dij, de quibus lege supra, quo pacto cum hominibus conuersentur.*

a *Legis etymon.*

queat) in multis ostẽdit. Achillẽ nanque de sceptro differentem fingit,

Il. a. *Nunc id Achiua iuuentus*
Causidici, in manibus gestant, qui iura reseruant
A Ioue dictata.

Lege Cic. lib. 1. de Legibus. Iura enim, & priscæ illæ consuetudines, legũ uice sunt: quarũ Iouem autorem esse tradunt. Cum quo & Minoëm illum Cretensium regem collo- *Subaudi Homerus Odyss. 19.* qui ait. colloquium autẽ (ut & Plato testatur) olim legum disciplina erat. *Iustitiæ studendum.* Perspicuè uerò & in illis declarat, ꝗ legibus obsequẽdum, & quod ab iniuria abstinendum sit,

Quocirca penitus uir nunquam sit sceleratus
Consulat at bene dona deûm, quæcunq; recepit.

Homerus politiam primus in uitam ciuilem ac militarem diuisit. Primus itaq; Homerus rem politicã in species diuisit.[a] In clypeo nanque (quẽ [b] Vulcanus, hoc est, spiritualis illa uis, ad totius mundi imitationem fabrefecit) duas urbeis cõtineri finxit. unam quidem pace & lætitia fruentem, alteram uerò belligerantem. Et utranq; ideo suis cõditionibus describit, quod per unam ciuilis, per alterã uerò militaris uita insinuatur. Præterea

a Il. 18.
b Quid Vulcanus.

rea

rea nec rusticanã uitam silentio præterijt, sed & hanc euidentibus ac uenustis uerbis illustrauit. Cæterum id quod in omni urbe, lege sancitũ est, ut senatus concilum fiat, ex Homericis istis ortum habet:

Rusticum uitæ genus.

Magnanimumq; uocat cœtum, sanctumq; senatũ. *Il. β.*

Agamemnon enim senatores cogit, ut cũ eis de multitudine armanda cõsultet. Et quod oporteat principẽ prę alijs, omniũ salutem curare, in eâdem persona docet, quã & cõmonefacit,

Senatoria digni tas.

Principis est totam nequaquam stertere noctem.

Principis officium.

Somnij uerba sunt ad Agamemnonem. Il. 2.

Et quod oporteat subditos imperatori parere, & quo modo præfectus se ad uniuscuiusq; ingeniũ accõmodare debeat, Vlysses cõmonstrat. Optimates nanq; mollibus uerbis persuadet: plebeios uerò acerbius castigat. Quinetiam præstantioribus assurgere, apud omneis lege cautũ est. Quod & ipsi dij erga Iouem faciunt,

Dignioribus assurgendum.

Nullus sustinuit tunc
Expectare Iouem, sed cuncti aßurgere contra.

Præterea lex apud plerosq; est, ut dicendi partes senioribus mandentur:

Dicendi partes senioribus dandæ.

eam ob causam Diomedes præ belli necessitate primum dicere ausus, uenia se dignum putat,

Il. 14. *Ne mihi succensere uelitis,*
Quod minimus natu uestrũ modo dicere conor.

Quin & illud apud omnes lege sancitum est, ut qui spontè peccauerunt, supplicio afficiantur: qui uerò inuiti, ueniam mereantur. Id quod poëta rursus ostēdit, in quibus cātor apud eum inquit,

Qui supplicio digni sint.

Phemij uerba sunt ad Vlyssẽ Odyss. 22.

Dixerit hæc tua Telemachus charissima proles,
Quod non spontè domum ingressus sim, uel rogitans quid,
Pro mercede procis solitus cantare petulcis:
Sed dum multa trahit pars me, potiorq; coactũ.

Triplex reip. gerēdæ ratio.

Cæterũ triplici existente politia, ad iustitiã & æquitatẽ exequendã, regno, aristocratia, & democratia: atque his quũ rursus opposite sint, ad iniustitiã ac iniquitatem exercēdam, tyrannis, oligarchia, & ochlocratia: neque has Homerus ignorare uideť, quippe qui regnũ per omnem poësim nominet, ac celebret: ut in his,

Regnum seu monarchia.

Est Ioue nutrito regi iracundia magna,
Illius atq; honor à Ioue, quod perdiligit ipsum.

Adhæc

Adhæc qualẽ deceat esse regem, perspicuum facit, *Regis officium.*

Ceu mitis pater hic populo imperitare solebat, *Odyß.4.*
Læderet ut neq; facto, nec uerbotenus ullum:
Quũ tamẽ hic sit mos regũ, dijs qui similes sunt.

Aristocratiam uerò, in quibus Bœotum quinq; reges enumerat. Et apud Phæacas, *Scilicet in nauium catalogo.* *Aristocratia, id est, optimatiũ principatus.*

Ter deni in populo regesq́; ducesq́; celebres,
Dicunt iura: quibus decimus nunc tertius addor. *Odyß.8.*

Democratiæ uerò imaginẽ in [a] clypei fabrica euidẽter ostendit, in quo duabus fictis urbibus, alterã à populo gubernari dicit, nemine imperante, sed cunctis pro arbitrio suo secundum leges uiuentibus. Vbi & forũ iudiciale introducit. Atq; in illa democratiam exhibet, dum ait: *Democratia, id est, populi principatus.* *a Il.18.*

Sed ueritus populũ, is siquidẽ stomachatus abũdè,
Quod sectando malos, funestos atq; latrones,
Thesprotis oberat: qui nobis semper amici.

Violenter uerò ac iniquè imperantẽ, tyrannũ quidẽ nõ appellat: recentius enim illud nomẽ. qualia uerò eius gesta sint, in his ostendit: *Tyrannis.* *Tyrãni nomen Homeri seculo incognitum.*

Regi Echeto daberis, quo non crudelior alter, *Odyß.18.*
Qui gladio nares, auresq́; recidat acuto.

Præterea

Tyrannis sepultura olim negabatur.

Præterea & Aegisthum tyrannicum declarat, qui interēpto Agamemnone, Mycenæis dominabatur. Et quū elatus esset, inquit: Nō sortitus fuerit sepulturam, si Menelaus adesset. hoc enim sub tyrannis lege cautum est,

Verba sunt Nestoris ad Telemachū, Odys. 3. de Aegistho adultero.

Huic equidem non soluissent sua iusta propinqui,
Alitibus, canibusq; sed esca fuisset in aruo.
Quod facinus tetrum commiserat.

Oligarchia, id est, paucorū imperium.

Oligarchiam uerò innuere uidetur in ambitioso procorum pręcipuas obtinendi partes studio: de quibus ait,

Atq; Ithacæ sterili quotquot dominantur iniquè.

Ochlocratia, id est, turbæ, seu multitudinis imperium.

Turbulentum uerò imperiū in Troianorum rep. tradit, in qua omnes Alexandri cōplices malis impliciti sunt. Et Priamus filios suos tanquam horū autores increpat,

Accersiuistis mala mi, soboles scelerata.

Ab initio 11. Il.

Quin & alius quidam Troianorum Antimachus,

Auro ab Alexandro corruptus, munere claro.
Disuasit reddendam Helenam flauo Menelao.

Humana iustitia.

Quandoquidem uerò id apud homines iustū censetur, quando unusquisque pro sua dignitate tractat: & quū deos

deos ac parenteis colere, ac familiares in precio habere, præcipuæ illius species sint: pietatem quidem erga deos in multis docet, ubi heroas rem diuinam & uota facieteis, dona dijs offerenteis, ac hymnis eos celebrãteis inducit. Dumq; pro pietatis remuneratione, à dijs auxiliũ reportant. Honorem autem erga progenitores in Telemachi persona præcipue ostendit. Et in quibus Orestem collaudat,

Pietas in deum, parẽtes, & amicos. Eiusdemq; species.

Pietas in deos.

In parenteis.

Odyß. 2. ubi ad quærendum patrẽ proficisci describitur.

> *Inclytus, insignis non audis quàm sit Orestes,*
> *Excellatq; homines cũctos, quod sit patris ultor.*

Ad hæc quod à natura iustum, & ex retributione debitum sit, ut parentes senectute confecti à liberis foueãtur, per unicã dictionem explicuit, dicẽs: Nec dum charis parentibus pro educatione preciũ persoluerat. Fratrũ autem beneuolentiã, & fidem inter sese, in Agamemnone & Menelao. Amicorũ uerò in Achille & Patroclo innuit. Vxoris autem prudentiam, & studium erga maritum in Penelope. Mariti erga uxorẽ desideriũ in Vlysse exhibet. Cæterum quo pacto nos pro patria

Il. 4.

Vide prouerb. ἀντιπελαργεῖν.

Erga fratres.

Il. 7.

Amicos.

Il. 18.

Vxoris erga maritum, & econtrà.

Odyß. 23.

Pietas in patriam.

patria gerere debeamus, in hoc potissimum declarauit,

Hectoris uerba sunt ad Polydamãtem, auguriũ infaustum interpretãtẽ. Il.12.

Vna auis optima pro patria pugnare subinde.

Et rursus quo modo eiusdem reip. ciues concordes esse conueniat,

a Nestoris uerba sunt ad Græcorũ cõcionem, Iliad.9.

a Absq; tribu, sine lege, domoq; sit ille, tumultus
Autor qui fuit unquam sæui, pernitiosi.

Quo autem pacto ueracitas in precio habenda, & mendacium fugiendum sit, in hoc ostendit:

Achillis uerba sunt ad Vlyssẽ, in eodem libro.

Vt Stygius Pluto, sic nobis est inimicus,
Cuius uerba sonant aliud, q̃ pectore sentit. Et,
Absenti obtrectant, sed præsenti benè dicunt.

Quo pacto familia salua sit.

Vxoris officiũ erga maritum.

Porrò quũ familiæ tum maximè conseruentur, quando uxor mariti consilia arcana neq; curiosè indagat, neq; absq; illius sententia quicquam facere conatur: utrũq; à Iunonis exemplo commonstrauit. Alterum quidem Ioui dicenti attribuens:

Consilium ne quæso meum cognoscere tentes
Omne, soror, coniunxq; mea.

Alterum autem Iunoni,

Ne quando post hac mihi succensere uelis, si
Clam te conueniam Oceanũ, laticemq; profundũ.

Præterea nec hoc poëtã latuit, quod apud

apud omneis in usu est, ut ij, q in bellum descenderũt, aut in periculo constituti sunt, aliquid familiaribus suis mandent. Siquidẽ Andromache Hectorem deflens, ait: *Morientium, seu alioquin pericli tantiũ mandandi aliquid consuetudo.*

Non etenim moriens mihi dextrã iungere tentas, Il. 24.
Nec monitis oneras uiduam prudentibus ullis:
Quæ meminisse iuuet noctesq́; diesq́; dolentem.

Penelope uerò mandatorum Vlyssis mentionem facit, quæ dixerat, quando in expeditionem ibat:

Haud scio num reducẽ Deus, an'ne uelit perijsse Odyß. 18.
Pergama apud Troiæ: quapropter sit tibi curæ
Noster uterq; parens, uelut hactenus atq; magis nunc.
Quãdo ego digredior, linquẽs charißima quæq;,
Videris ast ubi Telemacho barbam cecidisse
Primam, nube uiro coniunx cuicunq; uoles, sed
Aedibus in nostris regnabit filius idem.

Nouit & procuratorum rationem, *Procuratores.*

Naue abiens, procurat uti domus omnis adesset
Ad nutum senioris, & ut rata cuncta manerent.

Luctus uero in familiariũ funeribus, neq; moderatos (illiberale nanq; hoc est) probat: neq; prorsus è medio tolli (eo quod homines istũ affectũ exuere nequeãt) pmittit. Vnde talia dicit, *Quatenus uita functos lugere conueniat.*

Moderati luctus exẽpla.

Sed lachrymans sanè accessit, lamentaq; miscens:
Parcè nanq; animos hominum fecere misellos.

In aliis uerò ait,

Hos uersus et supra citauit, ubi de tristitia moderanda disputat.

Conuenit hunc sepelire statim, qui mortuus, & si
Cottidie lachrymas animo fundamus acerbo.

Nouit autem illa, quæ etiamnũ in sepulturis legitima putantur: idq; cum in aliis, tum in his:

Sepultura.

Ornabunt inibi tumultum, statuentq; columnam
Fratres, ac socii precium quod manibus amplum.

Et qualia Andromache ad nudũ ac iacens Hectoris cadauer inquit,

Sub ipsum finẽ 22. Iliad.

Vermes te comedent uarii, canibus saturatis:
Aedibus at nostris tibi uestimenta reposta,
Filo pertenui quæ texuerant mulieres.
Ast hæc cuncta dabo flammis, quod nullius usus
Nunc tibi sunt, animus non hæc desiderat ultra:
Sed potius Phrygios, Phrygiasq; nurus decorarent.

Odyss. 19.

Ad hunc modum & Penelope funebrem Laërti heroi uestẽ adornat. Atque hęc quidẽ moderata sunt. Quod uerò dicit, Achillẽ superuacanea quędam istarum rerum, cum alia animantia, tum homines in Patrocli pyra cõburere: non collaudat. Propterea & acclamat,

Immoderati luctus exemplũ.

Facta

Facta sed is mala, mente uolutat. Il. 21.

Cœmeteria quoque primus excitauit, Cœmeteria, seu Cranaria.

Omnibus è campo ductum struimus monumentũ.

Funebria quoque certamina primus mõstrauit. Atque hæc hominibus cum in pace, tum in bello constitutis communia sunt. Cęterũ rei bellicæ (quam & militarem quidam uocant) peritiã poësis illa (utpote pedestri pugna, murali, nauali, arietibus, & singulari certamine uariegata) multa quoque imperatoria complectitur: quorũ pauca in mediũ adducere, haud indignũ uidetur. In acie nanque cõuenit equitatum semper præordinari, peditatũ uerò sequi: id quod ad hunc modũ ostendit,

Funebres ludi. Transitio. Rei militaris scientia. Aciei instruendæ ratio.

Prima acie ponit currus, equitesque; ueloces:
Postrema pedites multos locat, egregiosque.

Et ut militum duces in singulis ordinibus sint,

Septem aderantque duces uigilum, iuuenesque cuique
Centũ aderant, manibus gestantes spicula longa.

De quo lege Vegetiũ li. 2. de re militari. ca. 8.

Denique et ducũ quosdam inter principia pugnare, quosdam uerò in extrema acie, reliquos ad pugnandum exhortari decet,

Ducum situs et officium in acie.

Il. 4.

Arma rapit, quicunq; situs iuxta Idomenea:
Idomeneus sed apro similis, qui robore magno,
Prima acie pugnat: postremas excitat autem
Meriones illi ualida uirtute phalanges.

Castrametandi ratio, de qua lege Vegetium li. 8. ca. 3.

Pręterea quum uiribus præstantes in exterioribus partibus castrametari cõueniat, ut reliquis tanquã murus circũiecti sint: regis uerò tabernaculum in medioximo, hoc est, tutissimo figi: ad hunc modum id ostendit, cum generosissimos quosq;, Achillẽ & Aiacem, in extremis nauiũ partibus: Agamemnonem uero, & reliquos optimates, in medio tetendisse ait. Et quũ hosteis inter castrametandum aggerem agere soleant, fossas in latum & profundũ ducere: easq; palis per circuitũ ita intersepire, ut nullus eas propter latitudinem transilire, neq; propter altitudinẽ in eas descẽdere possit: idem & apud Homerum fit,

Ab exordio lib. 12 Iliad.

Fossa etenim fuit illa timori,
Lata, nec ut salias, nec sit penetrabilis ulli.
Nanq; ab utroq; labro stetit ingens aggere uallũ.
Desuper at compacta fuit sudibus præacutis,
Quos Danai crassos, magnosq; prius statuere:

Effugium

Effugium ut certum fierent, queis Martia corda.

Porrò qui isthæc sectãtur, generosam mortem oppetunt,

Non studio sine, non inglorius interiturus:
Ast aliquid faciens, quo lauder posteritate.

Et rursus,

Vulneribus quicunq; necem sibi sentit adesse,
Mortem obeat, sic pro patrio est occũbere clarũ.

Gloriosum est, pro patria mori.

Atq; præstãtibus quidem uiris ob res bene gestas præmia distribuuntur,

Munera dat præstantibus, egregijs ducibusq;.

Aciei uero desertoribus cõminatur,

Quemcunq; à ratibus longè deprendo uolentẽ,
Isthic atra manet mors hunc.

Præmia olim rem bene gerẽtibus decernebantur, & pœna aciei desertoribus.

In pugnis autem quemadmodum ꝙ differenter, & quàm uariè heroas & uulnerare, et uulnerari fingat, quid dicere attinet? Illud uerò admonitu dignum est, quod eos, qui aduersa uulnera acceperunt, illustriores existimamus: utpote qui persistendo ac perseuerando animi promptitudinem declarent. A tergo autem, & à scapulis ictos, ignominiosiores: quippe ꝙ hoc inter fugiendum perpessi sint. Quorum utrunq; apud Homerum est,

Vulnera aduersa laudi, auersa aũt probro dantur.

Vulnera ne tergo capias, ceruiceq; nulla,
Ventre sed aduerso, sed pectore fixa sagitta
Condecoret, primaq; uelis decernere pugna.

Et rursus,

Nunquam mi scapulis figes hastam fugienti,
Sed cupio aduerso ferias me pectore promptum.

Spolia inter pugnandũ nõ sunt legenda.

Cõmodè autem in hostium fuga admonet, ne circa spolia occupati sint, nèue hostibus aufugiẽdi occasionem dent, sed eis immineãt, ac ꝓsequant̃.

Nestoris uerba sunt ad Græcos, ab initio 6. Il.

Exuuijs inhians nullus post terga maneto,
Vt spolia ampla queat naues perferre Pelasgas:
Hostibus occisis, tum demum incumbite prædæ,
Exuuias hominum campo paßim legitote.

Nullã esse ætatẽ, quæ nõ rei bene gerendæ exemplũ apud Homerũ inueniat.

De quo Il. 13. Odyß. 18.

Transitio.

Sunt deniq; apud eum omnis ætatis rectè facta, à quibus unusquisque animari poterit. In ipso quidẽ ætatis flore existens ab Achille, Aiace, & Diomede, Iunior autẽ ab Antilocho, & Diomede. Semicanus uerò ab Idomeneo, & Vlysse. Senex à Nestore. Atq; quiuis rex à cũctis istis regibus, præsertim Agamemnone. Huiusmodi quidem decreta & dictorum, & factorum ciuiliũ, apud Homerũ sunt.

Res Medica.

Cæterum uideamus & de Medicina, num

num & huius peritiam Homerus habuerit. Quod eam multifecerit, ex illo constat, *Lege Erasmi ἐγκώμιον.*

Vir medicus multos alios superauerit unus. Il.11.

Videtur autem medicina esse sciētia morbidorū, & sanorū: id quod ex hisce aliquis coniecerit. Primum quod sit scientia, *Quid medicina. An medicina sit scientia, lege Galeni Introductionem.*

Præ cunctis scius est medicus mortalibus aptus.

Deinde quod salubriū, & insalubriū, Odyss.4.

Pharmaca multa salubria, mixta, nociua tenebat.

Quo uersu utrūq; istorū innuit. Estq; medicinæ pars contemplatiua, quæ per uniuersaleis rationes, & per compendiū in particulariū cognitionem inducit. Cuius rursum partes sunt, signorum obseruatio, & causarū morbos cōtinentium notitia. Practica uerò, quæ eiusdem effectum tractat. Cuius partes sunt, uictus ratio, chirurgia, & medicamētaria. Quo igitur pacto unicuique istorum Homerus incubuit? Eo quod obscurè in isto significat, se partem speculatiuam cognitam habere, *Eiusdē diuisio. Cōtemplatiua. Eiusdem subdiuisio. Practica medicinæ pars. Eiusdem subdiuisio. Contemplatiuæ partis exēplū.*

Talia pharmaca habet consulta, Iouis pia nata.

Consulta medicamina quid. Consulta enim ideo uocat, quod secundum artem contemplatiuã instructa essent. Signorum autem obseruatione per Achillem palam facit. *Obseruationes signorum.* Quũ enim Chironis discipulus esset, primus morbi (q Graecos inuaserat) causam deprehendit. *Il. α.* Norat enim cõmunes aegrotationes ab Apolline (qui idẽ esse cũ sole uidetur) ortũ habere. *Sol anni gubernator.* Is nanq; anni tempora inducit, quae si intemperata fuerint, morborum causas praebent. Nam in uniuersum, uirorum salutem & exitiũ, Apollini: mulierum Dianae, hoc est, [a]soli & lunae, acceptum ferunt. *a Sol & luna hominibus et salutis, & exitij causa.* [b]Quos iaculatores quidem ob radiorum iactum fingit. *b Cur uterq; eorum iaculis potẽs fingatur, de quo et Macrob. lib. 1. Satur. ca. 17. lege.* [c]In marem uerò & foeminam ideo secat, quod masculinum genus à natura calidius sit. *c Cur mas & foemina.* Quapropter & Telemachum Apollinis ductu in tantum uirũ euasisse inquit: Tyndari autem filias Dianae beneficio adoleuisse. Prẽterea & mortes istis attribuit, idq; cũ in alijs multis, tũ in quibus secernit, *Iidem et mortis autores.*

Il. 24. & Ouid. lib. 6. Metam.

Arcitenens iaculis hos Phoebus Apollo necauit,
Dum Niobae succenset, & has pharetrata Diana.

Adhaec

Adhæc ubi canis exortũ recenset, signũ, & causam ipsam æstus ac morborum,

Splẽdidus est equidẽ, sed pessima quæq; minatur,
Ac generat febres miseris mortalibus idem.

Canis exortus noxius.

Morborum autem causas reddit, in quibus de dijs ait,

Nec comedunt fruges, nec uina nigrantia potant:
Sanguine ob idq; carent, immortalesq; uocãtur.

Aetiologica, secunda contẽplatiuæ medicinæ pars.

Morborum causa. Il. 5.

Cibus nanq; siue humidus, siue siccus, sanguinem generat: atque is corpus nutrit. Nimius autem, uel corruptus, morborum causa est. Practicam autem Medicinę partem (sub qua & uictus ratio continetᷓ) accuratè tenet. Siquidem diuturnos, & acutos morbos primus nouit: ut quando dicit,

Practica secunda principalis pars medicinæ.

Quæ rogo te domuit tam lenta morte, sororum,
Fila trahunt hominis quæ: num ualetudo diurna,
Num'ue Diana potens iaculis confecit acutis?

Cõstat autem eum quoq; frugalem diætam salubrem existimare. Finxit nanq; heroës assis uesci carnibus, ad tollendũ circa edulia curiositatẽ. Porrò quum uenter assidua saturatione

a Diæta prima practicæ pars. Frugalitas, seu temperantia, optima medicina.

opus

Quando edendum. opus habeat (quando prioribus cibis concoctis, id quod corpori affine est, in cor ac uenas digesserit, ac excrementa per secessum eiecerit) huiusmodi inquit,

Vlyßis uerba sunt ad Alcinoum, & reliquos Phaeacas, Odyß. 7.

Sed cœnare prius quanquam sinitote, dolentem:
Non etenim peius quicquam uentre imperioso,
Qui meminisse sui iubet, imperat atq; subinde.

Et rursus,

Mandere me iubet hic, nec non potare frequenter,
Ex animo tollit mala cuncta, replereq; mandat.

Vinorum differentia, de qua lege Gel. li. 13. ca. 29. & Plin. lib. 14. ca. 5.

Nouit praeterea & uini in utendo discrimina, quod immodicè quidẽ sumptum noceat: modicè uerò, prosit. Illud quidem ad hunc modum,

Odyß. 21.

Vinum mellifluum, quod multos lædit ineptos:
Si quis potet id immodicè, ac se ingurgitet isto.

Hoc autem sic,

Verba sunt Hecubæ ad Hectorem. Il. 6.

Corpora fessa iuuat, reficitq; suauis Iacchus.

Et quod uires corroboret,

Il. 19.

Sed quicunq; satur fuerit uinoq;, ciboq;,
Perdius esse potest pugnando contra inimicos:
Pectore confidens ut sit, nec membra labascant,
Antea quàm cunctos in pugna uicerit hosteis.

Dulce uinum. Et dulce quidem ad hilaritatem conciliandam facere putat,

Odyß. 7.

Dixit Pontonous sed dulcia fundere uina.

Acre

Acre autem, et capiti nociuum Vlysses Cyclopi apponit. Obstipatiuũ uerò medelæ adhibet: id enim Pramniũ est, quod Machaon saucio dat. Quod autem gymnasticæ operam dare pręcipiat, ex multis cõstat. Semper enim labori intentos fingit, idq; partim pro cuiusq; officio, partim exercitij causa. Quippe qui Phæacas uoluptati operam danteis, & procos quantũuis luxu diffluenteis, tamen ipsos se exercere introducat. Atq; ita labores ad sanitatem conseruandam sufficere putat. Somnũ autẽ corpori defatigato mederi. Vlyssi nanq; ex marinis laboribus fesso, somnum obrepsisse inquit:

Acre. *Odyß.9.* *Obstipatiuum, seu Pramniũ.* *Corporis exercitium sanitatẽ conseruat.* *Odyß.8.* *Odyß.17.* *Somnus defessi corporis medela.*

Alleuet utq; statim hunc ingente labore grauatũ. *Odyß.5.*

Natura nanque expetit, ut corpus labore defectum, requiescat. Et in quo parum caloris est, hunc (quia non potest undiquaq; penetrare) in imo manere. Quo autem pacto corpus requiescit? quia animæ cõcentus remittitur, & membra soluuntur. Id quod perspicuè dixit,

Somnus quomodo fiat.

Decumbens placitum carpebat membra soporẽ.

Porrò

Porrò quemadmodũ immodestia in alijs omnibus nociua est: sic & de immoderato somno Homerus sentit, dum aliquando ait: Cesset & multus somnus. nonnũquam uerò: Cesset & pernox uigiliarum custodia. Nouit pręterea & aëris temperiem ad sanitatem conferre: in quibus ait,

Somnus, & uigiliæ immodicæ obsunt.

Tẽperatus aër salubris: de quo lege Hippocratem de Flatib.

Odyß. 4.

Elysium in campum mitteris, & ultima terræ,
Auspicio diuũm: retinet loca quæ Rhadamãthus,
Et qua parte homini solet esse facillima uita.
Nulla ibi nec nix, nec grandis hyems, pluuiæq;
Non ullæ: Oceanus mittit sed leniter auras
Spiranteis Zephyri, queîs felices recreentur.

Loci Homerici explicatio.

In quibus hęc duo potissimum rectè pernouisse uidetur, primũ quod uenti ex humore nascãtur: deinde, quod quum calor animanti insitus sit, refrigerio opus habeat. Pręterea et passionum medelas nouit. In Sarpedone nanq; fingit, exanimatis refrigerationem conducere,

Exanimationis remedium.

Il. 5.

Respirauit: ubi flatus Boreæ recreabat
Exanimem, aspirans animo, qui liquerat illum.

Calorem aũt frigoris remedium esse, in Vlysse tẽpestatibus acto, demonstrat:

ſtrat: dum eum arbuſtis & materia iſthîc obuia ita contectum ſcribit, ut à uentorum & pluuiarum ui protegeretur. Verumenimuero ubi lauacra, & unguenta? nimirum in Diomede, & Vlyſſe, qui per ea ex nocturnis uigilijs curati ſunt. Etenim qualem cōmoditatem lauacra habeāt, in his potiſſimum declarat,

Odyſſ.5.

Lauacra & unguenta.

In fine 10. Iliad.

Grata lauacra caput, humerosq́; lauando refudit.

Lauacra labore defatigatis ſalubria.

Cōſtat igitur quum nerui hinc originem habeant, quod & laboris medelam ab illis ſumi cōſentaneum ſit. Ea autem calefaciendo & ſiccādo fit. Labores enim arefaciunt. Reliquum eſt ut conſideremus, quo pacto & chirurgicā partē tenuerit. Menelao quidē Machaon ita medetur, ut primo iaculum eximat, deinde hulcus diſpiciat, ſanguinem exprimat, ac ſicca medicamēta inſpergat. Idq́ artificioſè ab eo fieri, perq́ manifeſtū eſt. Eurypilū uerò Patroclus primū cultello penetrabili ptractat, deinde aqua calida eluit; ac ut dolor mitigaret, radicē adhibet. Multæ nanq́ paſſim ad hulcerū medelam

Chirurgia ſecunda practica pars.

Il. 4.

In fine 11. Iliad.

Amara medicamina.

delam proueniunt. Nouit prætereà quod medicamenta amara ad siccandum idonea sint, & quod hulcera siccatione opus habeant. Quin & Patroclus eũ sanaturus non statim abijt, sed assidebat, ac sermonibus oblectabat. Dolenti nanq; consolatione erat opus. Machaonem uerò in humero non magna, nec letali plaga uulneratum, negligẽtiore diæta uti meritò fingit: ac fortasse illius artem ostendit. Qui enim alia (ut occurrebant) diiudicabat, seipsum sanare poterat. [a] Illud uerò etiã apud eũ animaduertendum est, [b] quod non ignoret, medicorum pharmacorũ quædã emplastrata & [c] insperfiua esse: ut quãdo ait, Lenia sanè pharmaca inspergebat. quędã uero [d] poculẽta, ubi Helena pharmacum crateri immiscet,

Il. 11.
Cyceonem nimirum potionẽ intelligit, quã Hecameda ex caprino caseo, fermẽto, & farina hordeacea confecerat.
a Pharmaceutica tertia Practicæ pars.
b Duplicia pharmaca.
c Insperfiua.
d Poculenta.
e Odyßi. 4.

[e] *Nepenthes adimẽs iram, mala cũctaq; tollens.*

Ad eundem modum, & uenenatorũ pharmacorũ alia illinitiua esse nouit: ut in istis,

Intoxicatorum pharmacorũ diuisio.
Illinitiua.

Pharmacon interimens homines sectatur ut illo
Inficiat iaculum æratum.

Alia

Alia uerò poculenta: ut in illis,

Crateri iniiciens ut cunctos perdere poßit.

Poculenta.

Procorum σαρκασμὸς in Telemachum abnauigantē, Odyß. 2.

Tantum de re medica Homeri. Porrò quemadmodū medicina hominibus conducit, sic & diuinatio. Cuius [a]unam quidē partem Stoici [b]artificialem esse dicunt (ut est, aruspiciū, augurijū, oraculū, sortes, et signa, quæ in uniuersum artificialia ab illis appellantur,) [c]alterā uero inartificialem, & quæ nō docetur, ut sunt somnia & uaticinationes. Neque isthęc Homerus ignorauit, imò uerò uates, sacerdotes, & somniorū interpretes nouit. Prætere a & augures, & quendam in Ithaca sapientem:

Diuinatio, quæ (teste Cic. li. 1.) est rerū futurarum præsensio, & prædictio.

a Eiusdem diuisio.

b Artificialis.

c Inartificialis, seu (ut Cic. uocat) naturalis.

Augurium norit, necnon qui commoda dicat.

Alitherßen innuit, de quo Odyß. 2.

Et Vlysses uotum faciens ait,

Nominis instinctu oraclum referat mihi quisquā,
Aut Iouis ostentum uideam, doceatq; tremendo.

Sternutatio quocp apud eū boni ominis est. Procis autē uates diuinus assistit, qui numinis afflatu futura significat. Quādoquidem uerò Helenus se diuinæ uocis auditorē fuisse prędicit,

Sternutatio.

Helenus uates.

(Auribus hisce meis uocem hausi nanq; deorum)

credendi occasionem præbet, quod & Socrates ab illius dęmonij uocé responsum peteret. Quę pręterea rationalis ars, aut sciẽtia reliqui sit? Imò uerò & Tragœdia (quæ & rerũ, & uerborũ magnificẽtia gaudet) ab Homero originẽ sumpsit. Omnes nãq; Tragœdię species apud eũ sunt, facta magnifica & admirãda, deorũ apparitiones, orationes fastu turgidę, ac omnigenorũ morum imitatrices. Et ut summatim dicã, poëmata eius nihil aliud sunt, q̃ actus graues et sublimes, siue dictionẽ, siue res ac sentẽtias spectes. [a]Nec impiorũ facinorũ demõstrationes (ut sunt nuptiæ illegitimæ, liberorum aut parentũ cædes, aut alia portenta, quę à recentiori Tragœdia fingũtur) cõtinent. Imò uerò quũ eiusmodi quippiã cõmeminit, delictum magis extenuare, q̃ cõuicijs incessere conat̃. Vt in Clytæmnestra fecit. ait nanq;, eã bona mẽte prędita eatenus fuisse, quatenus philosophũ, hoc est, pręceptorẽ quendã ab Agmemnone cõstitutũ secũ habebat, qui ei optima quæq;

De quo lege Xenophontem in Diogenem.
Socratis apologia, & Laër.
Tragœdia.
Eiusdẽ cõditio.
Sic Horat. in arte Poëtica: Telephus, et Peleus, cum pauper, & exul uterq;, Proijcit ampullas, & sesquipedalia uerba.
a Quatenus Tragœdiæ autor sit Homerus.
Odyß. 3.

quæq; præcipiebat. Isto autẽ è medio sublato, tum demum ab Aegistho ad peccandũ illectã esse. Adhæc ꝙ Orestes patrẽ iurè ultus sit, Aegistho necato, quũ interim matris interemptionem obticuerit. Hæc atq; alia istiusmodi multa apud poëtam, scribẽtem Tragœdiã grauẽ & humanã, uidere licet. Nihilominus aũt & Comœdia indidẽ alicũdè occasionẽ cœpit. Deprædit nanq; in eo (quãuis grauia & sublimia narret) ꝙ introductiones quędã sint, risum mouẽtes. Eã ob causam Vulcanus quidẽ in Iliade claudicãs, & dijs uina infundẽs introducit.

Inibi paulo pòst.

Comœdia quoque ab Homero orta.

τοιὸν τ᾽ ἐκ γελοίου in Andria Terent. est, act. 4. scena 4.

Il. 1.

Excitat immensum risum cœlestibus ille.

Thersites aũt corpore turpissimus, & animo scelestissimus, ob tumultũ, maledicẽtiã, & insolentiã, ab Vlysse pulsatus, omnibus ridẽdi materiã ꝑbuit:

Ιλ. β.

Tristantes quanquam, riserunt suauiter omnes.

In Odyssea uerò Demodocus apud Phæacenseis uoluptati operam danteis, Veneris & Martis complexum canit, quo uidelicet pacto in uincula à Vulcano fabrefacta inciderint, in

Odyss. 8.

ipsoq; facto depræhensi, reliquis dijs risum mouerint, ita ut iucundis inter se salibus luserint. Quin et apud Procos luxu diffluẽteis Irus mẽdicus cũ generosissimo Vlysse lucta decertãs, & in ipso facto ridiculus apparẽs introducit. In uniuersum nanq; hominis naturæ familiare est, ut nõ solũ intendatur, sed etiã remittatur, uti ad labores in uita sustinẽdos par sit. Eiusmodi quidem animi oblectatio apud poẽtã inuenit. Porrò quũ hi, qui post ipsum Comœdiam inuexerũt, uerbis turpibus & apertis, ad risum ciendũ usi sint, nemo illos melius quiddã inuenisse dixerit. Homerus enim amatoriarũ affectionũ, & orationũ modestè cõmeminit: ut quando Iupiter ait,

Odyss. 18.

Hinc illud Horatij est, Quod caret alterna requie durabile non est.

An Comici post Hom. aliquid rectius excogitauerint.

Homeri modestia in rebus amatorijs describendis.

Nunquam animũ cœpit Veneris mihi filius imũ.

& cætera. Et de Helena,

Non fas est Phrygios, æratos atq; Pelasgos,
Pro tali muliere diu decernere ferro.

Verba sunt senũ Troianorũ inter sese, Il. γ.

Et his similia. Alij uerò poetæ, homines hoc affectu incontinentius ac immodestius capi finxerunt. Atq; hæc quidem hactenus. Habent aũt & epigrammata

Epigrãmata.

grāmata iucundam orationis speciē, quę in statuis, ac deinde in monumētis inuenitur; succinctè eum denotās, qui alterutro istorū honoratus fuerat. Atqui & istud Homeri est, ubi ait:

Continet hocce sepulchrum hominem, quem strenuè agentem,
Magnanimus quondā occidit Priameius Hector.

Et rursus,

Hectoris est coniunx, equites qui fortiter inter
Troiugenas gessit, tutantcis Ilion altum.

Cæterum si quis dicat, Homerum picturæ magistrū, nequaquā errauerit. Quū enim quispiā è sapientibus dixerit, poëticā esse loquentem picturā, et picturam esse tacens poëma; quis primus, aut quis plus q̄ Homerus, deos, homines, loca, & uaria gesta, sensuū imaginatione, aut uerborū lenocinio ornauit? Effinxit aūt & per dicēdi materiā animantia omnifaria, et ualidissima quęq; [a] leones, sues, pardos. Quorum causam, & dispositionem describens, ac humanis rebus comparans, utrasq; proprietates ostendit. * Ausus est autē & dijs hominum formas tribuere.

Homerū etiam Zographiæ autorem esse.

Poëma est loquens pictura, & pictura tacens poëma.

a Vide suprà cōparationes ab istius modi animalibus sumptas.

** De his lege suprà, ubi philosophiā moralem tractat.*

buere. Porrò Vulcanus clypeũ Achil-

Il.18. li fabrefaciens, ac terrã, cœlum, mare auro insculpens: preterea solis magnitudinẽ, lunę uenustatẽ, & siderũ (quę totũ cœlũ ornãt) multitudinem, ac urbeis uarijs moribus ac fortuna utenteis: deniq; animalia, quæ mouentur, & loquuntur: quo tandẽ huiusmodi artis opifice non uidetur artificiosior?

Poëmata uisis potius, q̃ auditis similiora sunt. Videamus autẽ & in alio uno è multis exẽplo, quod poëmata ijs magis conformia sint, quæ uisu, q̃ quæ auditu percipiuntur. Qualia sunt hæc, in quibus Vlyssis cicatricem narrãs, ea, quæ ab Euryclea fiunt, inducit:

Odyss.19.

Hanc anus arripiẽs manibus pronisq;, fouensq;,
Agnouit, reijcitq; pedem, qui lapsus in undam
Cum sonitu, effudit lympham, totumq; lebetem.
Lætitia atq; dolor simul hanc tũ cœperat ingẽs,
Et lachrymis maduere genæ, & uox faucibus hæsit.
Postea sed mulcẽs barbã, cõpellat Vlyssem:
Haud dubiũ, quin sis soboles mea, charus Vlysses:
At te non prius agnoui, quàm uulnus herile
Attigeram. hæc dicens, aspexit Penelopeam,
Significare uolens: &c.

Hom. loci explicatio. Isthîc enim etiam eorũ, quæ in picta tabula monstrantur, & ob oculos ponuntur,

nuntur, innuit cõplura esse, quæ non uisu, sed sola cogitatione cõprehendi queãt: ut est pedis præ stupore dimissio, ærei lebetis sonitus, aqua effusa, aniculæ cũ tristitia, tum gaudiũ, eiusdem ad Vlyssem uerba: denique quę ad Penelopen respiciens, dicere conata est. Multa pręterea & alia graphicè apud poëtam demonstrantur, quę in ipsa lectione spectare licet. Hîc tempus est, ut orationẽ finiam, quam ueluti coronã è florido & uariegato contextã prato, Musis dedicamus. [a] Nec nobis curæ fuerit, si quis repręhẽdat, quod quũ Homeri poëmata rerũ malarum argumentum contineant, ei rationes physicas, ciuileis, moraleis, & uarias scientias attribuam. Necessum enim poëtæ fuerat, gesta admiranda & perturbationes, & mores diuersos ponere. Quãdoquidem bona per se, simplicia, eiusdẽ speciei, ac omnibus obuia sunt. Quæ autem malis intermixta, multas habent mutationes, & omnimodas dispositiones, ex quibus rerum materia conflatur. In qua deterioribus

Sic Plin. lib. 35. ca. 10. et Fabius lib. 2. ca. 14. referũt, in Timanthi opibus plus intelligi, q̃ pingi solutum.

Epilogus uniuersalis, in quo (ut à Rhetoribus quoq; præcipitur) potißima queq; argumenta refricat.

a κατ' ἀνθυποφοράν, dilutionem eius obiectionis repetit, quam supra in eo loco posuit, ubi docet philosophiæ primordia ab Homero esse orta.

Iuxta illud Philoſophi, contraria inter ſe cõparata magis eluceſcunt.

terioribus adiectis, meliorum cognitio & electio facilior fit. Et in ſumma, iſtiuſmodi argumentum, poëtę occaſionem mouendi omnifarios ſermones, ſuppeditauit: id'que partim ſub ſua, partim ſub aliena perſona, ita ut lectoribus per hæc multum commodauerit. Quo aũt pacto non omnem uirtutem Homero acceptã feremus? ubi & ea, in quibus ipſe nõ multum operæ poſuit, poſteri in eius poëmatibus perpendũt. Dum uidelicet quidam ad uaticinium, eius uerſibus, tanquam oraculis diuinis utuntur: quidam uerò eos trãſpoſitos, & conſutos, aliÿs ſibi argumentis propoſitis aſſuunt.

Vide ſupra quinam poëtæ Homeri uerſibus παραφραστικῶς uſi ſint.

FINIS.

ET PIO, ET DOCTO VIRO, D. PETRO CUNZENO, *Ecclesiastæ Bernensi*, IOAN. RHELLICANUS, *bonarum literarum apud eosdem professor, Salutē & cōscientiæ pacem exoptat per Christum Iesum.*



VOD serius ꝓmissis meis sto, doctissime Cunzene, in nostra montana peregrinatiõe describenda: nõ mihi, sed Sirio imputandũ est. Hoc enim sidus quãuis ęstus et siccitatis causa, singulis annis sit: tamē nescio an eius uis ullo unq̃ ætatis meæ anno, pestilentior fuerit. Segetes nãq;, plãtas, arbores, herbas, gramina, & holera ante tempus arescere fecit. Nec minore interim ui in omne animãtium genus desæuijt. Siquidem ex nimia epatis siccitate, sitis: ex siti, potus intemperãtia: ex intēperantia, mille pestes cũ in hominibus, tum pecudibus ortę sunt: dysenteria, ac reliquæ lues. Quum igitur caput

meum etiam per reliqua anni tempora languoribus obnoxium sit: in hoc flagrantissimo Sirij ęstu, temperandũ mihi ab istiusmodi meditatione fuit. Ne tamẽ ocio totus marcescerem, nostram, hoc est tuam, Christiani Dannmateri, Thesei nostri fidissimi, ac Telori peregrinationẽ (quã Stockhorniadem à promõtorij descriptione appellare lubuit) mane ac uesperi (quãdo caniculę ęstus nonnihil deferbuerat) meditatus sum. Eam igitur tandem quomodocunq; absolutã, nemini potius quàm tibi dedicandã cẽsui: quippe omnium nostrum patrono, non in hoc tantũ itinere, sed etiam hîc. Quocirca mi Cũzene, Stockhorniadẽ nostram eo animo suscipias uelim, quo ego tibi eam nuncupaui: hoc est, syncero, cãdido, & tui amantissimo. Tuũ ergo nunc erit, clientem te deamantem redamare. Vale, ex ædibus nostris, à magistratu Bernensi mihi locatis. 12. Augusti.

Anno 1536.

SEQVITVR STOCKHORNIAS.



OX erat, & cœlo radiabant sidera toto,
Luciferiq; ortum cantu prædixerat (ales:
Peruigil accelerat stratis, simul ocy us omneis
Voce Simon uocat: omnes surgimus ilico lectis.
Induimur, ientamur, corripimusq; bacillum
Quisq; suum, niueum, uestigia certa tenere
Quo liceat: montis penetrare cacumen in altum.
Dum cliuum superassemus, comes unus & alter
Agglomerat sese: quorum unus colle tametsi
Nutritus foret, astrorum tamen ille meatus
Natura didicit duce sola. nanq; corusca
Stella Iouis magni mortalibus illa salubris,
Non ignota meat. non est incognita Martis,
Horribilis mundo, rutilans, & stella cruenta.
Non comites Solis, Cyllenius, & Venus alma;
Ensifer Orion, qui multos concitat hymbreis.
Nouit Vergilias orienteis tempore uerno.
Vt stabulum attigimus, placet hic requiescere iuxta
Fonticulum, & sacco Cererem depromere nostro,
Et capreæ carnes: depromere dulcia uina.
Quis ubi corpora nostra refecta fuêre, subinde
Inceptum per iter, scopulos, rupesq; per altas
Scandimus: interius dum cornu montis adhæret.

I uxta quod lacus est uiridis, non piscibus aptus,
I ma ualle situs: qui terram more Arethusæ,
A lphei fluuij ingreditur, præruptaq; saxa
S ic penetrat, donec spumanteis exerit undas
Erlinbach. N on procul à pago, cui nomen Riuus & alnus.
L impidus hic, gelidus, fons uiuus ualle reducta
C olliculo scaturit, certans cum Blandusiano
F onte, gelu spectes, uitreum seu forte liquorem.
H ic iterum mensam struimus, lassataq; membra
S ternit humo, quicunq; cupit gustare ferinam,
Q ui Cereris donum, ueteres qui caseolosq;.
N ympha sitim sedat fontis Stockhornia nostram,
D um pincerna sedet prope fontem pocula præbens.
V ina etenim seruare placet Ripensia, donec
N os Stockhorne tenes, conscenso uertice summo.
P ostquam exempta fames, & amor cessauit edendi,
Gentiana. P ergimus: & uarias herbas hinc inde notatas
C unzius ostendit: quam formam Gentidis herba,
H elleborus niueus quam uim medicam gerat, infit.
I nnumeras alias herbas monstrabat, & alpes
Brendli. Q uos generant flores: quorum uni fuscus, & ater
E st color: ac odor est moscho fragrantior ipso.
R adicē instar habet palmæ geminæ, hincq; uocatur
Manus Christi. C hristimanus. nobis mora sic tum fallitur, atq;
S canditur alta crepido de in uix lata pedes treis.
V nde iterum in campos, & pascua læta uenimus.
D onec per scopulos, & saxa minantia tandem
I n iuga Stockhorni peruenimus: unde sub ortum,
Stagna

Stagna, lacus, torrenteis Simmæ, Arulæq; fluenta.
Oppida spectamus: campos, uiridantia prata.
Occiduas sed equos ubi Phœbus mergit in undas,
Innumeros monteis speculamur, ut æquora lata.
Pauimus atq; oculos, stomacho latrante paramus
In medio scopuli mensam: depromimus armum
Strepsicerotis, tum Cererem, dulcẽ quoq; Bacchũ.
Cascolos ueteres: qui condimenta fuere
Heluetijs atauis nostris, exotica quando
Nullus aueret aromata, bellaq; nullus amaret.
Dum prandemus ita accelerat bumulga iuuentus
Lactea dona ferens mulctris, tenuesq; placentas. Sennknecht.
Mensa secunda fuit nobis hæc grata perinde,
Attica ceu quondam bellaria grata gulosis.
Nanq; alius lac potabat, βούτυρον edebat
Ast alius: iuuat hunc sed pressi copia lactis.
Postquam exempta fames, sitis atq; repressa fuisset,
Surgitur: atq; animi causa deuoluere rupem
Auulsam scopulo placet, ac audire sonantem,
Nõ secus ac tonitru, scopulis dum immurmurat altis.
Hæc satis atq; super quum nobis acta fuissent:
Omnibus est animus descendere premnocerote.
Ecce in descensu quiddam mirabile uisu,
Alpestris gallina statim præteruolat omneis: Steinhůn.
Accola saxosam quam gens idcirco uocauit,
Quod saxo gaudet, necnon uescatur arenis,
Magna tecta niue. hæc bombarbam dum iaculantes
Intendunt semel, ac iterum frustra: tamen istic

Hæsitat

Hæsitat immotim, donec confixa lapillo
Bombardæ, scopulo cecidit tum proniter alto.
Lapsa iacens rostro spectabilis illa repando,
Ac uarijs plumis nobis distincta uidetur.
Pergimus in stabulum tum nobis forte propinquũ,
Atq; inibi rursus saturamur lacte bouino
Multiplici: acceptum quod donum iure nepoti
Cunzeni ferimus. Dein cuncti ascendere cliuum
(Qui culus ob dominam Mutrinus rite uocatur)
Pergimus: ut liceat currenteis strepsicerotas
Cernere ibi propius, de summo uertice montis.
Sed fera nulla fuit nobis conspecta quod illic,
Fortunam culpare libet: uenatica nanq;
Cura, manusq; fuit nobis præmissa perita,
Quæ capreas circum circa latitanteis
Exciret, sed nulla fuit conspecta ferarum.
Proinde placet cunctis cliuo descendere summo
Paulatim, non lata uia est, sed longa crepido.
Commodiore uia tandem descendimus inde,
Quàm prior ascensus fuerat: nam planior ista
Tritior atq; fuit multò. gestare solebant
Hàc etenim βούτυρον, & omnia lactea dona.
Attigimus rursum tandem Erlinbacchia prata,
Hospitiumq; uetus postquã hîc repetiuimus omnes,
Corpora curantes, lassataq; membra quieti
Paulisper dantes: en magna caterua uirorum
Nos uocat ad cœnam laute, oppipareq; paratam.
Vnicus ad cœnam est agilis, præpes q; Telorus

De Mutrinen aster.

Vnâ

Vnà cùm puero uenit: quod fessa labore,
Corpora fessa forent aliorum, æstuq; diurno.
Quæ res perdoluit, non tam quod corpora lassa
Nostra forent: quàm quod conuiuis soluere grates
Haud liceat, toties quod suscepere benigne. Erlinbachiorū liberalitas.
Nam semel, ac iterum magno suscepit honore
Concio magna uirum, iuuenesq;, senesq; periti.
Vina etenim donans totius nomine gentis,
Vir uenerandus erat: si spectes ora diserta,
Nestor erit Pylius: si latifundia spectes,
Alter Crœsus erit: Lenberrius atq; uocatur. Venner Lebenber.
Signifer ille fuit, dum uires corporis adsunt.
Excipit at Lupus hunc, & lampada sumit ab illo. Venner wolff.
Tertius hinc quæstor, quo non humanior alter
Concelebrans cœtum: nos excipit ore benigno.
Hic ueteris mores penitus non esse sepultos
Comperimus nostræ Heluetiæ, uestigia multa
Summæ uallis habet, peregrinos ritè fouendo.
His ita transactis, uale diximus omnibus: atq;
Muneris ipsorum memores nos esse futuros
Donec uita comes, cuncti promisimus. inde
Postera dum Solis luxisset lampas in orbe,
Bernam multijugam cuncti remeamus in urbem.

FINIS.

BASILEAE, PER BALTHASAREM
Lasium & Thomam Platterum, Mense
Martio, An. M. D. XXXVII.


MINERVA.
TV NIHIL INVITA
DICES,
FACIES VE